B. N. C.
FIRENZE
1 0 3 4
18

1034 18

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1034
18

DE BONONIAE LAVDIBVS ORATIO

a Benedicto Morando Bononienſi
ante centum annos
Siſto IV. Pont. Max.
conſcripta, & edita.



BIBLIOTECA ... 1872

Superiorum permiſſu.

ROMAE. CIↄIↄXXCIX.
Franciſcus Coattinus exc.

1034.18

ILLVSTRISSIMIS

VEXILLIFERO, ET XL. VIRIS SENATVS BONONIENSIS,

Aldus Manuccius

S. D.

BENEDICTVS Morandus, Bononienſis, bene doctus uir, & Patriae peramãs, ante centum annos, Siſto IV. Pontifice Max. Orationem conſcripſit, & edidit, qua ueſtrae Ciuitatis laudes mirifice admodum eſt

complexus. Ea cum apud me eſſet in multiplici Librorum meorum congerie; cumq. ego non tam de Bononienſi ciuitate, quam de me ipſo eius Ciuitatis nomine, quae inter alias primum, & praecipuū locum iure ſibi uindicat, quamq. boni omnes uel Patriam expeterent, uel a Ciuibus ſuis ſe amari ualde cuperent, ornando cogitarem; ideoq. eam, ut exſtaret aliquod interim, donec maiora adornentur, pietatis & obſeruantiae meae in Bononienſem ciuitatem monumentum, denuo edere uellem; Vobis, Ill.mi Viri, qui Patriam ueſtro decore illuſtratis, ab eaque, & in eam, ornamenta omnia & ſumitis, & confertis, & Orationem, & quidquid in me eſt, dicatū uolui. Facit enim mea erga Vos obſeruantia, ex ſingularibus cuiuſque ueſtrum animi dotibus orta, ut, de Vobis aliquo modo me cogitare, percupiam. Hoc autem pacto, publicam Ciuitatis beneuolentiam non dicam aſſequi, ſed conſeruare mihi ſtudens, priuatae quoque ipſius Morandae familiae, de Patria benemeritae, dignitati conſulens, mihimet gratus eſſe uidebor eorum beneficiorum, quae & a Vobis omnibus, & ab uno quoque ueſtrum, in me eſſe collata, libenter

praedico.

praedico. Vt interim non omittã, R. P. M. Am broſium Morãdum, Benedicti pronepotem, ex Cõgregatione Saluatoris, Priorẽ Monaſterij D. Petri ad Vincula, philoſophiae, & theologiae, & iuris Canonici, cognitione praeſtantem, & in Collegium ueſtrae Ciuitatis ante multos annos adſcitum, humaniſſimum uirum, eum eſſe, qui ſua uirtute ipſi uirtuti ſplendorẽ afferat, & Familiae ſuae & Patriae, ornamentum maximum ſit. Quare, cum uniuerſae Ciuitati, & mihi ipſi in hoc gratificer, eſt, cur mihi ſummopere gratuler, atque gaudeam, opportune cecidiſſe, ut, quo ego tempore de edenda Oratione cogitarem, eo mihi datum ſit humaniſſimi, & doctiſſimi uiri conſuetudine frui, eodemq. amiciſſimi mei honorem, in renouandis Familiae meritis, curare. Eo autem libentius id a me factum eſt, quo uetus Sereniſſimae Gonzagae Familiae patrocinium erga Morandos appareat. cum haec oratio a Benedicto, Franciſco Gonzagae Cardinali dicata olim ſit, & Ambroſius ipſe Sereniſſimo Gulielmo, Mantuae Duci, doctrinae, & iudicij laude celeberrimo, ſuam operam nauauerit. Erit, ut ſpero, immo certe erit, ut, hac animi mei uoluntate, beneuolentiam mihi

ueſtram,

ueſtram, quam mihi praecipue colendam duco, confirmetis. Valete. Ex Vrbe. Siſto V. Pont. Max. qui nobis ueteres illos Pontifices non ſolum iam refert, ſed etiam longe ſuperat, eorumq. memoriam deſiderari non ſinit. CIↃ IↃ XXCIX. Kal. Mart.

Iulij Roſcij, Hortini.

QVAE placido fruitur fecunda Bononia caelo,
Et puras gemino flumine libat aquas,
Nobilitate potens, ſtudijsq. aſperrima belli,
Et nitet exculti dotibus ingenij;
At, quod doctiloqui celebratur uoce Morandi
Celſius auguſtum tollit ad aſtra caput;
Tunc tamen exſultans caelo caput inferet ipſi,
Aurea Manucci cum monumenta leget.
Inde tuis Sapinae reſonabit laudibus unda,
Rhenus & Auſonius grandior ibit aquis.

AD ILL.^MVM^ PRINCIPEM, ET REV.^MVM^ PATREM, D. FRANCISCVM DE GONZAGA, CAR.^LEM^ MANTVANVM,

Benedictus Morandus, Bononienſis.

DIVINAM poſt uenerationem, inter praecipuas mortalium curas primum ſibi locum caritas uindicat patria. Ex qua decorum illud, de quo in Officijs agit Cicero, conflatur. Quoniam ea, ut perfecta ſit, uirtutum actiones omnium comple ctitur. quas in patria caritate reperies. Propterea bene idem inquit in eo, quem de Republica libro inſcripſit: locum eſſe in caelo ſtabilitum patriam fouentibus, ſeruantibus, augentibus: ubi ſempiterno beati fruantur aeuo. Ea ratione mediocres etiam uiros, modeſtam agentes uitam, ſeq. a ſcelere ſer-

1034.18

uantes, quod ad remp. honeſtandam tales eſſe ciues conducit, quando non aliter eis in ciuilem ſocietatem officium conferre datur, ad eum decet beatitudinis locum peruenire. Contra uero labefactantes rempublicam ſuis criminibus, cunctaq. ad priuatam utilitatem referentes, apud inferos daturos poenam, certum eſt. Quoniam, ut poeta inquit, *Dij memores ſunt fandi, atque nefandi*. Proinde ego, qui pro uiribus, & ingenij paruitate, ſemper adſtiti patriae, nec ullum pro ea laborem fouenda recuſaui, ne in hoc loco quidem, de quo uerba facturus ſim, quoad potero, deficiam, ut ſtatuto illo beatorum adſciri loco merear. qua in re, licet imbecilles tanto oneri meae ſint uires, hoc tamen effectum erit, ut maxima meorum ingenia ciuium incitentur, dedignata, me dicente, pro re adeò pia, ſanctiſſimoq. patrio iure, agere ſilentium. Cauſſa haec eſt. Pius ſecundus, Pontifex Romanus, pro ſuae patriae dignitate agenda, (Senae uidelicet, quae in Tuſcia eſt) in Seſsione publica, cōtra ius, faſque, Senenſes oratores Bononiēſibus praeferri uoluit. Cui ſi, pro ſua honeſtāda Ciuitate, naturali in eā amore prouocato, Bononiae coinquinata dignitate, licuit ab aequo uſque adeo cupide ſecedere: quanto iuſtius a me pro patrio honore, uel ſuppreſſo, uel adempto, reſtitutionem decet repoſcere? Si patrius amor iniuſtae rei excuſationem quandam attuliſſe Pio Pontifici uidetur, eadem profectò caritas, & iuſtior multo cauſſa, mihi, pro patrio iure agenti, animum praeſtare, iudexq. propenſior ad honeſtam reſtitutionem eſſe, debebit. Quod eo cupidius aggreſſus ſum, quo Senenſes pertinacius contendunt, ſe praeferri noſtris, ſicut uidimus in magnificentiſsimis nuptiis Illuſtriſsimi Principis, Herculis Ferrarienſium Ducis. ubi, quamuis Senenſes praelatum iri ſe Bononienſibus poſtularent, ſapientiſsimus Princeps, etſi id ante iuſsiſset Pōtifex Pius, ratus tamen noſtris iniuriam fieri, ſicut ex prudentiſsima eius actione deprehenditur, alternatim in conuiuio Bononſenſes & Senenſes habuit: quo ſapienter facto, utroſque honore affecit: nec fuit Bononienſi-

bus iniurius; Excellentia cuiuſque urbis, antiquitate, diuitijs,ſitu,caelo,fertilitate agri, ſufficientia rerum, moenium amplitudine, populi frequentia, dignitate ciuium, rerumq. geſtarum gloria,praecipue deprehenditur. Quarum in parte rerum ſi pulchrum eſt praeſtare,ſane glorioſius iudicabitur, in cunctis ſuperiorem eſſe. Haec de aſſerenda nobilitate an guſtius in Politicis ab Ariſtotele contrahuntur:ubi nobilitatem tribus his praecipue conſtare rebus oſtendit, Antiquitate, Diuitijs, Virtute. In Rhetoricis autē latius declarat,inquiens: Nobilitas genti,& ciuitati,eſt,ſui iuris antiquos eſſe, habuiſſeq. priſcos excellentes uiros, a quibus aut pares,aut illuſtriores in rebus memoratu dignis ſedulo prodiere. Et in Politicis tradit,uitio,& uirtute,ſeruum a libero,ab ignobili quoque liberum,diſterminari. Sed latius,pro indaganda ueritate,uagabimur. Senam Etruriae eſſe urbem inclytam, multis Italiae uel parem, uel ſuperiorem,paucis uero cedentem, haud infitias eo. Cuius plurimas eſse laudes, ingentemq. gloriam, ſane liquet, At, ſi cum Bononia eam conferre uoluerimus, nequaquam ad eius dignitatem adſpirabit. Et,quoniam in primis,& uulgo a Senenſibus iactatur, *Sena uetus*; ut eius haec prima laus appareat,id prius diſcutiendum cenſui, quod ſi palam fecero;in quo ſe potiſsimum gloriatur, inferiorem eſſe Bononia; in ceteris, quibus non tantum nititur, ſciat, ſe cedere. Si uetuſtatem ſuae urbis Senenſes contendunt aſſerere,ignobilem, & obſcuram fuiſse profecto innuunt: quod eam nullis ueterum monumentis celebratam comperimus.adeo namque ampla,& innumera, fuere populi R. geſta,ut nullum opidum,nullus amnis,nullus mons, nec conuallis, Italiae fuerit, quae non aliquo celebretur egregio facinore,uel in ſecūdo bello Carthaginienſi, quod Hannibal ſexdecim fere annos in Italia contra Romanos geſſit,uel in bellis ciuilibus, ſeu cū Etruria paullatim facta eſt ditionis Romanae. quod ne uerum ſit,rimemur in Liuio,Salluſtio, Aelio Spartiano, Cornelio Tacito, Iuſtino, Suetonio, Appiano, Silio Italico in catalogo populorum,

& ciuitatum, quae aut Romanis, aut Carthaginienſibus fa-uerunt. reliquosq. euoluamus ſcriptores, & poetas, quos il luſtria populorum geſta narrare quoquomodo contigit, & eos, qui, orbis ſitum, urbes, opida, montes, flumina emenſi, contingentia in illis deſcripſerunt; ut Plinium, Pomponium Melam, Strabonem, Solinum, in quibus omnibus, ſiue Grae cis, ſiue Latinis, de Sena nulla facta eſt mentio; uelut de ea, quae non erat, & nouiſſime condita eſt. licet in Vmbria alia ſit circa Metaurum Sena, quam Senogalliam etiam appel-lant, a Senonum dictam nomine, ut Silius in hoc uerſu:

Et Clanis, & Rubico, Senonum de nomine Senae.

Atqui, iudicio meo, minus indignũ eſt, Senam, de qua agi mus, nouã eſſe urbẽ, quam ueterem contendere illaudatã. Quae cum tanta ſit, quãta certe eſt, profecto, ſi uetus eſſet, ut gloriantur Senenſes, aut exſtaret aliquod eius monumentũ, tanta urbe dignum, aut ignobiliſſimum eam fuiſſe uicum decet fateri, non ſolum immeritum, de quo ſermo fieret, ſed etiam infeliciſſimum, quod nulla recordatione, uel ſuo-rum geſtorum, uel aliorum ibidem, memorari potuerit. ue-rum potius eſſe arbitror, nouam admittere, quod rationi conuenit, & fama refert, quam ſine ullo antiquitatis honore ueterem pertinacius cõtendere. Praeſertim cum uir diligen tiſſimus Latinae hiſtoriae Blondus eam nouam ſcribat ur-bem. licet uariam opinionem de ipſa, a quo ſit condita, in me dium afferat. Alij enim Carolum, cui Malleo cognomẽtum fuit, conditorem tradunt; Alii Ioannem undeuiceſimum Pontificem Romanum, quem a finitimis urbibus, Peruſia, Cluſio, Faeſulis, Florentia, Volaterris, ſex plebanatus ade-miſſe aiunt, eorumq. ex ſenario numero, Senam appellaſ-ſe. Vtcumque ſit, nouam eſſe conſtat. Scio tamen, quoſdam, non ignobiles Senenſes, afferre, a Plinio Sanienſem poſi-tam, quam Senam eſſe contendunt. Sed, poſito, & non con-ceſſo, Dialecticorum more, id eſſe uerum, quod nulla tamen ratione probare poſſunt, quaeſo, dicant, quis alius ſcripto-rum eius loci mentionem fecit, ut alicuius olim condicionis

fuiſſe

fuiſſe poſſit argumentari. Sanienſis, cuius meminit Plinius, numquam probabitur Senam eſſe: rationibus tamen ante dictis, ignobilem fuiſſe uicum deprehenditur, quod nulla dignata eſt ab auctoribus memoria. Quos autem ciues habuerint recordatione dignos, compertum non habeo, praeter paucos: uidelicet duos Pontifices Romanos, Alexandrum Tertium, & nuper Pium Secundum, dignum certe, cui Chriſti uices crederentur, pro ſumma eruditione, & ſapientia, quae in eo fuit. Eius ſupereſt nepos, Reuerendiſſimus Cardinalis Senenſis, auunculi profecto uera imago. de quo ſatius eſt tacere, quam deminute nimis laudes eius attingere. Habuit Vgonem, clariſſimum certe noſtra aetate philoſophum, & medicum. hunc, me puero, memini adeo inflammatum fuiſſe diſputando cum celeberrimo philoſopho, Nicolao Faba, ciue noſtro, ut continuo cruentam emiſerit urinam. quamobrem, ſoluta diſputatione, ſtatim uiolaceam aqua endiuiae miſtam potionem hauſit. pulchrum ſane fuit, duo mundi lumina uidiſſe in philoſophia de naturae difficillimis rebus diſputantia in tam celebri litterarum Gymnaſio, aſsiſtentibus utrimque uiris ſcholaſticis, ſuis tantum fauentibus nutu praeceptoribus, alioquin ſuſpenſis euentus exſpectatione. Sed de hoc alias. Claruit etiam Federicus, ciuilis ſapientiae doctiſſimus, alterum Senae lumen: ſacrarum quoque litterarum, Gerardus Senenſis, ordinis Heremitarum, peritiſsimus habetur. Nec omiſerim Beatum Bernardinum, cuius aetate noſtra uita ſic probata fuit, ut iure, meritoque in ſanctorum numerum dignus fuerit adſciri. Quoſdam etiam ſanctos uiros ea in Ciuitate fuiſſe compertum habeo, quorum nomina ſunt ignota mihi. Rei uero militaris habuit quoſdam ex Malauolta familia uiros ſtrenuos: quamuis ratus ſim, ex Bononia eam familiam originem trahere: cum genus illud olim apud noſtros clariſsimum fuerit. quod eorum ſepulcra, in templis Diuorum Franciſci, & Dominici, ſatis indicant. Et uicus, cui Malauolta nomen eſt, paene in ſuburbijs, inter Bononiam, & radices Apennini,

ni,ſitus,quo nullum amoeniorem, magiſq. apricum, Bononienſis ager habet, facile argumētum praeſtat, aut eos inde originem traxiſſe, aut ab eis inditum uico nomen, cum noſtri ciues eſſent: quamquam ea familia Bononiae penitus iam exſtincta ſit. Sed de his tantum mihi ſermo habendus eſt, qui praecipui fuerunt, quorumq. non facile aboleri memoria queat, niſi maiore poſteriorum uirtute obſcurentur. quemadmodum in omnibus artibus, & doctrinis, contigiſſe liquet. De rerum uero geſtarum gloria, nihil accepi memoratu dignum, niſi quod uno tantum proelio, cum ſaepe alias aduerſus Florentinos infeliciter pugnauerit, ſecundam eſt experta fortunam, externo, hoc eſt Regis Manfredi, milite, exſulibuſq. adiuta Florentinis. Gymnaſio etiam celebri omnium bonarum artium illuſtratur. Diximus de Vrbis uetuſtate, dignitate ciuium, rebuſq. geſtis, quantum cognoſcere datum eſt. De reliquis quoque referemus. ut, cum de Bononia dixerimus, collatis utriuſque Ciuitatis laudibus, quae praeſtantior ſit, appareat. Sita eſt in dorſo mōtis Sena oblonga, ſeq. in laeuum retorquens pro dorſi ſinuoſo flexu, in lateribus uero anguſtior, & procliuis, ac longe a mari poſita, nullo nauigabili in id deſcendente flumine, duobus ornata fontibus, aliquot quoque turribus, Foro primario inaequali, & concauo. Domos habet ſatis editas, Vias tamen anguſtas, Caelumq. noxijs infeſtum uentis. Ager medius eſt inter ſterilem, & feracem. Moenibus tamen eſt breuior, populoq. infrequentior Bononia; neque par diuitijs; quod difficillime ad eam res externae, quibus caret, importantur; nec proprijs uſque adeo abundat, ut finitimis ſuppetat, niſi armento, & paſcuis. habet quoque plura balnea, ut Petriola, Philippica, Auiniona, cerebri, neruorumq. medicamento conducibilia. de quibus apud auctores legimus. quod argumentum eſt, Senam ciuitatem eſſe nouam: quia, ſi uetus eſſet, non fuiſſet a ſcriptoribus praetermiſſa, qui de Balneis ſcripſerunt. quamquam nec balnea, nec maritima, qua Senenſes paſcuis, armentoque, abundant, pro-

prie

prie ſunt Senenſis agri,ſed Cirtonae, Volaterrarum, opidorumq. quorundam,quae ſuae ditionis fecere. Nec praetereunda eſt Hoſpitalis domus,cuius earum, quae habet Italia,cõpar,aut ſuperior,iudicio meo. Eius profectò nulla ſatis condigna laus afferri poteſt. Haec omnia,quod in promptu ſunt,oculisq. ſubiecta,ut nec uerbis extenuari,nec exaggerari queãt,rectius ſentientium iudicio relinquam. Quae de Sena dicerẽ,haec habui. de qua ſi plura Senenſes attulerint, modo uera ſint,concedã libens.ſcio enim,minime parẽ eſſe Bononiae.quae ſi eſſet,nõ propterea minuitur ſua dignitate Bononia: ſicut neque Sena,ſi ſit inferior,niſi inuicem conferantur. Deinceps de Bononia ſubijciendũ eſt. de qua multa, & praeclara, cum dici poſſint, eorum tamen partem ingentem praetermittam. quod ineptum eſt, ubi pauca ſatis ſint, eſſe longiorem. Et nihil afferam,quod ſcitu non ſit digniſſimum,probatiſſimisq. non conſtet auctoribus. cum nemo egregius ſcriptor fuerit, a quo non ſit laude celebrata Bononia:qua gloria penitus Sena uacat. Et coniectura, ſi quid afferemus,neceſſariam propter circumſtantias, probationem faciet. ut nec aliter,ſi quis uelit,opinari queat. Eius quippe originem tradere, difficillimum puto. quod tantae uetuſtatis eſt,ut ſcriptorum memoriam ſuperet. Afferam tamen,quae infitiari poſſit nemo. At,prius quam de ea dicere ordiar,de Ciſpadanae regionis dignitate, cuius pars potior eſt,ubi ſita eſt Bononia,libet Strabonis uerba referre, uelut ad ſequentia praeludium:quo palam ſit, eam maxime praeſtare, quae princeps excellentioris prouinciae ſit. inquit enim: *Horum uirtutem locorum tum ipſa hominum probitas teſtatur, tum opidorum magnitudo, tum uero diuitiarum amplitudo. quibus omnibus huius regionis habitatores ceteris antecellunt Italis*. Hactenus Strabo. Iam, primum omnium conſtat, Tuſcorum ante Romanum Imperium terra mariq. opes late patuiſſe, nec ullam prius gentem intra ſuperum, inferumq. mare, memoriae proditum eſt regnaſſe. His omnis regio, quae intra Apenninum, Al-

pesque,

peſque,clauditur,excepto Venetorum angulo,paruit. Inde tamen a Gallis,Priſco Tarquinio regnante,Tuſcos pelli coeptum eſt,auctore Liuio. Tam lati imperij principatũ Boniae fuiſſe, conſtat priſcis illis temporibus,cum Felſina uocaretur,ut Plinius tradit. Ante haec tempora nihil ſcriptores ponunt. Quis ergo adeo uetuſtae ciuitatis originem queat referre, quae ſcriptorum omnium memoriam excedit? quam fuiſſe inclytam, abhinc amplius mille duo & quingentos annos, legimus. quod clariſſimi poetae, Virgilius, Siliusq. Italicus, ſuo carmine teſtantur: ſicut infra clarius enodabitur. Sed, prius quam eminentiſſimorum teſtimonia ſcriptorum in medium afferam,libet manifeſta ratione uetuſtatem eius aſſerere.Certum eſt ſane,primos non dum a quoquam habitatae regionis aduenas,quibus, nullo uetante,liberior fuit deligendi facultas,potiorem urbi fundandae locum tenuiſſe.quo in delectu primum de aeris ſalubritate, fertilitate ſoli, ſitus amoenitate, commercioq. cum externis, ratio diligens habenda fuit, quae merito nouum quemque allicere colonum deberet.Quod ſi in fundis priuatorum fieri uidemus,cum pro cultoribus domum aedificare opus ſit,ubi locus agro colendo conducibilis deligitur:quis dubitet,in uacua regione,pro noua condenda urbe,id conſultius,maturiusque,actũ. Quoniamq. plurimorum eius eſt cura, inſani eſſet profecto, ſecus exiſtimare. Praeſtabilius haec omnia, quae ciuitatis beneficio conducant, cumulatius quoque inſunt, ubi ſita eſt Bononia, quam uſquam in Ciſpadana ora. quod infitiatur nemo. Quis enim rem adeo manifeſtam non admittat?Itaque,niſi primores accolas eius regionis amentes iudicare uelimus, non aliam prius ſedem urbi condendae fateri delegiſſe oportet,quam eam,ubi ſita eſt Bononia,uelut prae ceteris locum frugiferum,ſalubrem, commercioq. cum externis aptiſſimum. quod palam magis fiet,cum de ſitu Bononiae latius referetur. Talem delectum non habuit Roma,ſed neceſſitate condita eſt,ut Strabo inquit,ſubdens,quod,qui deinde illam auxerunt,ut Ser-

uius

uius Tullius,item alii, non ſane in ſua poteſtate habuerunt potiora. Id quod in condenda Bononia liberrimum fuit. Hanc rationem ſi quis non quadrare Bononiae cauillabitur, afferat ipſe in Ciſpadana regione, cui ciuitati non modo plura,ſed tot,tantaque praerogatiuam faciant. ut,eo argumento,uetuſtior dici poſſit. De reliquis inſuper nota ſunt primordia. Bononiae uero nulla exſtat memoria,quam potuerint,quos habemus,auctores attingere. Qui ſi ceterarum multo inferiorum tradiderunt originem,profecto non praetermiſiſſent Bononiam, cuius initia ſcripſiſſe potius duxiſſent,quam deductionem in eandem coloniarum, ut cum occupata eſt a Gallis,deinde quoque,his expulſis, cum deducta eſt Latina colonia. Hinc eam auſim uetuſtiſſimam dicere:cuius primordia,propter eius antiquitatem,ſcriptores ignorarunt:ſolum eius praeclaras res,& nouas in eam deductas colonias referentes. Quamobrem, cum uetuſtate nimia nos eius initia lateant, quod eſt in ſecundo loco, ad aſſerendã eius antiquitatem, exordiemur ab hoc eius egregio facinore uetuſtiore. quod apertius dari poſſit. ex quo anteacti aeui cõſideratio perſpicacibus ingeniis relinquetur. Tiberis Regis filius Ocnus, qui & Bianor dictus eſt, Mantuam, quã a matris aedificauit nomine,ex paterno regno, hoc eſt Bononia, Aeneae in Laurenti bello miſit auxilia cõtra Turnum, Rutulorum Regem. ſicut Virgilius, Latinorum poetarum facile princeps,refert: dum recenſet Regulos populos,ciuitatesq. Italiae, quae fuere auxilio Aeneae in eo contra Turnum bello,quo potiſſimum conueniſſe Bononienſes,his uerſibus teſtatur:

Ille etiam patris agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicae Mantos, & Tuſci filius amnis.

Et,ne quiſquam infitietur de Bononia Virgilium intelligere;audiamus Silium Italicum,id clarius,quod ſub inuolucro verborum tetigit Maro, referentem, cum dicit:

Et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Ocni priſca domus, paruiq. Bononia Rheni.

Non ne Silius aſſerit, priſcam, hoc eſt priorem domum Ocni, uidelicet Bononiam parui Rheni, quondam Teucris comitem, ideſt Aeneae in Laurenti bello miſiſſe auxilia aduerſus Turnum. id quod de Mantua nequaquam poteſt a Silio dictum interpretari. cum de ea prius referens dixerit:

Mantua mittenda certauit pube Cremonae,
Mantua, Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Euecta Aſcraeo, & Smyrnaeis aemula plectris.

Statimq. de Verona, Fauētia, Vercellis, & Pollētiaſubiicit:

Tum Verona Atheſi circumflua, & undique ſollers
Arua coronantem nutrire Fauentia pinum
Vercellae, fuſciq. ferax Pollentia villi:

Deinde continuo ſubdit:

Et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Ocni priſca domus, paruiq. Bononia Rheni.

Ecce, non de Mantua, ſed de Bononia, intelligit, quae olim ſocia Aeneae in Laurenti fuerat bello. Quod autem domus priſca, ideſt prior, exponi debeat, ut nuper fecimus, audiamus Feſtum Pompeium, uerborum antiquiſſimum interpretem. inquit enim: *Priſci Latini proprie appellati ſunt hi, qui, priuſquam Roma conderetur, fuerunt. & Priſcus Tarquinius dictus eſt, quia prius fuit, quam Superbus Tarquinius. Pari ratione, Ocni priſca domus, Bononia dicta eſt, quia prius fuit, quam Mantua conderetur*. Colligitur itaque, Mantuam Bononia fuiſſe poſterius conditam. Indeq. Maronis coniicio uerbis, Mātuam deductos a primordio colonos, qui Tiberium fuiſſe Ocni patrem, poetico more nomini amnis Tiberis alludens, ait:

Et Tuſci filius amnis.

De Ocno intelligens: ſeu, quod in Tiberi flumine pater Ocni Tiberius, Tuſcorum Rex, extinctus eſt, ut non nulli auctores ſunt, & praecipue Feſtus: quamquam de Rege Albanorum id fateantur alii, tamen de Tuſcorum Rege magis intelligere Virgilium puto, inquientem, Ocnum, Tuſci amnis filium. Quod etiam Seruius teſtatur. Qua uero ratione dicam, Maronis ſententia ab Ocno Mantuam ex Bononia

deductam coloniam,iuuat afferre, ne quidquam a me commentum poſſit argui. Cum patrium Regnum Ocno Bononia fuerit,ut iam patuit,auctore Silio,ueriſimile eſt,a paterna ditione eum deduxiſſe coloniam, cum dicat Virgilius,

Tuſco de ſanguine uires,

Hoc eſt, ex Bononia, tunc Etruriae principe, Coloniam deductam. Quae ſententia congruit Plinio,referenti,Bononiam olim Felſinam uocitatam, cum princeps, ideſt caput, eſſet Etruriae. Quae poetarum cum Plinio teſtimonia clare ſatis oſtendunt, non modo Bononiam fuiſse patriam Ocni domum, ſed opibus adeo floruiſse, ut tam longe a ſedibus ſuis auxilia miſerit Aeneae. Cui ſentētiae Maro,poetarum deus, his adſtipulatur uerſibus:

Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicae Mātos, & Tuſci filius amnis.

Vbi, quamquam de Mantua ſubiiciat continuo, ut patriam laudet, auxilia tamen, ab oris patriis,hoc eſt a Bononia,praeſtitiſſe Ocnum Aeneae refert.quod de Mātua minime poteſt intelligi:ut quae non eſſet *priſca domus*, ut inquit Silius, nec *ora patria*, hoc eſt paternum Ocni Regnum, Virgilio auctore. Ecce,quo modo liber librum aperit,ut tritum eſt prouerbium. Silius enim *priſcam Ocni domum* Bononiam dicit, Virgilius autem *oram patriam* ipſam fuiſſe teſtatur, a qua latum eſt Aeneae auxilium. Sole igitur clarius apparet, priſcam domum, paternumq. Ocni regnum, fuiſſe Bononiam,quae fauit Aeneae in Laurenti bello contra Turnum. Nō haec retuli,detracturus Mantuae,quam ingenue fateor eſse digniſſimam,celebratiſſimamq mirificis ſcriptorum, & poetarum praeconiis,quamq. Excellentiſſima Gonzaga domus, praecipuum Italiae ornamentum, & decus, illuſtrat. quid enim ſubducitur a praeclaris Mātuae laudibus, ſi Bononia Tiberim habuit regē? cuius filius Mantuae conditor fuerit, auctore ciue ſuo Marone, quo Latinorum teſtis nemo dari poteſt grauior. quamquam Leonardus Aretinus, praecipuae auctoritatis uir,ſenſiſse aliter uideatur:hanc pro

fecto eſse rationem puto, qua ſe mutuo hae ciuitates amēt, quod ab artiſſimo amoris uinculo coniunctiſſimorum Prin cipum,quaſi naturae ui exprimente, tantae beneuolentiae trahunt originem. At fortaſſis obiiciet aliquis, noſtram interpretationem calumniari auidus: Cedo tibi,non eſſe Man tuam priſcam Ocni domum, quod ipſe eam condidit: ergo aliam prius habuiſse liquet,quae illi priſca fuerit. Non propterea tamen relinquitur,quod paterna domus ei exſtiterit Bononia,ſi de Mantua id minus conſtat.Contra ego reſpō-deo: De qua igitur intelligunt clariſſimi poetae, Maro,& Silius. quamq. mihi dabis, quae, ſi non fuerit Bononia, congruat fuiſse priſcam Ocni domum, tunc Aeneae comitem in Laurentia bella,ut Silii uerbis utar? Aliquam oportet afferre. At ſupra conſtitit, non eſse Mantuam illi oram patriam, de qua Maro ait, quod nullum opus auctore ſuo prius fuiſse conuenit. certum eſt igitur de Bononia, quādo alia ciuitas nulla quadret ſine ſcrupulo uerbis clariſſimorū poetarum,nihilq. repugnet. & hi ſe mutuo probent. alterq. eam aperte nominet, alter circumſcribat. Praeterea Silius, cum recenſeat Italas urbes omnes, populosq. earum, nullo praetermiſſo,qui tunc fuere,ad opem,ſiue Romanis, ſiue Hannibali Poeno,ferendam,& nulli tribuat,quod antea diu auxilium tulerit Aeneae in Laurenti bello niſi Bononiam: certe ceruicoſus erit,& ſine mente,homo,qui id infitiabitur de Bononia, gloriae plus nimio eius aemulus. Ex antedictis licet coniectari, tunc ingentis fuiſſe potentiae Bononiam, quod tam longe a ſedibus ſuis miſerit auxilia, quod nullam eius regionis feciſſe ciuitatem accepimus. Ex quo id argumento eſt,quod,etiam ſi figmentum eſset poeticum, cuius tamen nulla exſtat probabilis ratio, nihilominus de Bononia, tacitis aliis eius orae urbibus, id tantum dixiſse indicio eſt, eo tempore eam fuiſse praepotentem, ex qua mitti auxilia Aeneae potuerint. quo figmentum ſit ueriſimile.Alioquin Maroni,impoſſibilia finxiſſe,uitio daretur.Praeterea ingenioſus poeta Silius non idem retuliſset. Vi quippe ra-

pe rationis ueritas haec exprimitur, non probabili coniectura, quae ſatis eſse debuiſset in hac cauſſa. cum, teſte Ariſtotele, perſuadere, quod ex ſimilibus fit, non ſyllogiſmo demonſtrare, ſit oratoris officium. & Magnus Albertus, ex Alexandri Aphrodiſienſis, Peripatetici, dicat ſententia, quod etiam in phyſicis ſi non habemus demonſtrationem, ſufficit dicere probabiliter. modo nullum ſequatur inconueniens. quod abunde fecimns in hac cauſſa. Ita etiam, quae mox dicturi ſumus, teſtantur priora. ut ſe uiciſſim probent. induximus profecto priſca illa, ut certiora fere praeſentibus uideantur; atque ita, ut, ea non modo eſſe aliter, ſed nec opinari, queat. Verum ad teſtes adeo locupletiſſimos, pro exaggeranda, magisq. aperienda, hiſtoria hoc adiecimus. Ocnus, quemadmodũ Seruius, Donatusque, praecipui, & candidi Maronis expoſitores, tradũt, Bianor etiã dictus eſt, quod animo, & corpore uir fuerit fortis, ut iidem interpretantur. cuius ſepulturae meminit Virgilius in ecloga, quae incipit,

Quo te, Moeri, pedes, an quo uia ducit in urbem?

Vbi fere ad finẽ, Bianoris incidit in ſepulcri mentionem. & paſtor inducitur Lycida, Menalcã in hunc modũ alloquẽs:

Hinc adeo nobis media eſt uia: namque ſepulcrum
Incipit apparere Bianoris.

Et reliqua. Pro cuius rei manifeſta cognitione, quantum propoſito conducit, ſcire oportet, quod Virgilio, ſiue Menalcae, ut in ecloga introducitur, Romam petenti, prius relicto procuratore, cui ſua tueri, centurioniq. Arrio obſequi, metu potius, quam amore, iuſserat, plurimum quoque itineris iam emenſo, tum Lycida, conſolaturus eum ex dolore concepto, quod ab Arrio paene fuerat occiſus, ſubiecit, *Iam ſumus fere media in uia.* Ad cuius rei fidem faciendam, illi ſepulcrum Bianoris oſtendit. Eius locus, ſi bene quis aduerterit, ad octauum lapidem eſt a Bononia, praecipue in adſcenſu Apẽnini, in uia, qua Mantua Romã petimus. Qui, corrupto ab incolis uocabulo, Pianor, pro Bianor, B littera in P mutata, dicitur: ſicut, pro Boionia, Bononia; pro Fluen-

tia,

tia,Florentia. Item Terracina,prius Trachina; etiam Formii,Hormias,ut inquit Strabo, dicti ſunt,& alia huiuſmodi multa. Nec mirum,non exſtare ibi ueſtigium aliquod Bianoris ſepulcri, ob nimiam uetuſtatem. annorum quidem millia duo & quingenti, aut eo amplius praeteriere poſt ſepulcrum Bianoris ibi poſitum. quod ſic patere poteſt. Solinus enim computat, a deleta Ilio ad exortum urbis Romae quadringentos ſupra triginta interceſsiſſe annos. cui adſtipulatur Strabo. Titus uero Liuius a condita Roma ad Auguſti tempora annos ſupra ſeptingentos numerat. Anni uero ſalutis noſtrae mille quadringenti ſeptuaginta ſex computantur. Si Ocnus ergo, ſiue Bianor, auxilium Aeneae tulit contra Turnum in Laurenti bello, ut Maro tradit. ſupputatione erroris Aeneae decennalis,& uitae Bianoris poſt latum auxilium,quantacumque eſſe potuerit,tempus numeratum ſupra, aut plus multo conſtabit. Praeterea, cum non exſtet opidum, olim ibidem conditum, de nomine ſepulcri, quod,inquam,opidum aui mei paterni exſtabat aetate, & a fundamentis dirutum eſt,ut reliquiarum aut nihil,aut paullulum uix appareat: non eſt mirum,ſepulcri adeo uetuſti nullum exſtare ueſtigium. Quia uero Donatus, & Seruius, eodem in cõmento,referunt,Bianorem extra ciuitatem ſepultum; nec alia ſit in uia ad Romã ex Mantua circumquaque urbs proximior Bononia, quae illi potuerit eſſe priſca domus, atque interſtitium terrarum ab utroque termino dicatur medium, & eo uſque pars ferme huius itineris quarta ſit: media in uia eſſe ab hortante Lycida Menalcam dicitur merito, etiam ſi minus ſit,ut eum itineris,immo concepti doloris, faſtidio leuaret ex mortis periculo parumper ante ab Arrio euitatae fuga. Habet res haec uериſimilitudinem ſine controuerſia, quae poſsit afferri, ut,quomodocumque quis aliter opinetur,minime quadret. Nodus ſupereſt unus, non ferro,quo modo Alexãder Magnus uinculum, quod in Gordionis iugo haerebat, ſoluendus, ſed probabili ratione. Is huiuſmodi eſt. Cum tantae uetuſtatis eſſe Bononiam contendamus,

tendamus, profecto mirum eſt, nullum tantae antiquitatis ſuperesse ueſtigium. Sed uelim ſciant, quos id mouet, ſicut in noſtris eſt annalibus annotatum, quod trecenteſimus & quadrageſimus primus annus eſt, quod igne uniuerſa uſta eſt Bononia. & uiceſimo & centeſimo ab inde anno, quidquid intra uias Diuorum Stephani, & Donati erat, (pars ſane ciuitatis quarta) iterum conſumpſit ignis. Praeterea, uariante fortuna, Bononiam ter moenibus auctam comperio, amplio re ſemper ambitu. Nam priſca illa moenia, praeſentibus comparata, exigua quidem, & ex ſpeculari fuerunt lapide, circa fundamenta praeſertim, ſicut multis in locis, ubi quandoque foſſum eſt, cernitur, tãtulumq. turris lateritiae exſtat in compito Caeleſtinorum. Magna etiam pars moenium refectionis ſecundae, ſub latiore ſpatio adhuc ſpectatur quibuſdam in partibus, praeſertim ad fora lignaria, & fenilia, apud Diui Franciſci Baſilicam, uiamq. maiorem reliquiae diruptionis Lotharij. de quo infra agemus. Ampliora omnium ſunt, quae nunc exſtant monumenta, annum abhinc ſupra ducenteſimum ſexageſimum erecta. & latioris ſpatii cauſſam puto, ut ſuburbia muro cingerentur. Ex iis alicui forte uideretur, me repugnantia tradere. cum non conueniat, potentiorem fuiſſe Bononiam, dum eſſet anguſtior. Quibus ſic reſponſum eſſe uelim, Ariſtotelis auctoritate: quod priſcis temporibus ciuitates erant paruae. & cauſſam fuiſſe puto, quod in agro, pacis tempore, pars ciuium maxima degebat. Aliud ingens teſtimonium eſt, quod nunc uectigalia ciuitatis ad quartam imminuta ſunt partem eius, quod, abhinc anni ſunt ducenti, exigebatur. Adde, quod eſt etiam populo longe infrequentior; & uacuas plurimas habet partes. Haec afferre libuit; ut, cum dicemus, Bononiam eſſe uadum ex ciſalpina Gallia in reliquam Italiae oram, & ex Etruria in Galliam, conſtet ſemper, neceſſario tantam fuiſſe, uel potẽtiorem, quantam hiſtorici tradunt; ut eſſet uelut incus ad omnes ictus, ſiue cotis, in qua omnium Italiae diſſenſionum, bellorumq. ferrum acueretur. Ea ratione ua-

riam,& multiplicem,expertam fuiſſe fortunam , decet arbitrari. Propterea quoque fluctuet ſaepe neceſſe eſt, non loci malignitate, ſed commoditate, fauoreq. ad omnes Italiae motus.tamen, bonitate feracis agri, dexteritate, conſtantiaq. inuicti animi ciuium ad quoslibet euentus, propitio quoque, ut reor, adſpiciente caelo , in tanta uariatione rerum,ſuperauit omnes fluctus. Eae ſunt cauſſae,quod nullum antiquitatis priſcae ueſtigium in denuo bis renaſcente urbe comperimus,niſi fruſta quaedam marmoris, litteris magnis inciſi nominis Caeſaris. Alia uero exeſa nimium,ut legi nequeāt. Alia epigrammatibus caelata,quae in ſacris aedibus antiquiſſimis Diuorum Felicis,& Stephani,adhuc uiſuntur. Et horum,aetate mea,plura conſumpta ſunt. quamquam fodientibus ad domorum fundamenta ſint aliquando multa uetuſtatis reperta ſigna . ut in ampliſſimis molibus murorū anuli ferrei,plumbei,áquaeductus,cloacae ingentes, & ampliſſimae, finitimos penetrantes montes.quarum nec initia, nec fines reperti ſunt. Nō ne etiam,cum defoſſum nuper eſt in foro primario, ubi fontem moliuntur, fruſta marmoris egregie ſculpti plurima,& aerea ſtatua inuenta eſt, antiquitatis priſcae, ruinaeq. ciuitatis indicia . Hinc reor, uniuerſam aliquando,ſtrage bellorum,cecidiſſe,fuiſſeq., procurante D. Petronio,reſtitutam,ut quidam annales tradunt. Sed, per Deum immortalem, quod maius dari poteſt antiquitatis monumentum,dignitatis ue Bononiae,quam quae maximi poetae,ſcriptoresq. celeberrimi, tradidere, quorum hic quaedam annotata ſunt? Hactenus cupiētibus refragrari puto relictum nihil: tamen, ad aſſerendam magis Bononiae dignitatem,non minora ſubiiciemus. Iam ſatis conſtat,Plinio auctore, Bononiam Tuſcorum fuiſſe primariam ciuitatem,ante conditam Romam,diuq. poſt occupauerunt eam, & Mutinam, Parmam, Placentiamque,pulſis inde Etruſcis Galli Boii, ſiue ij, qui trans Rhenum incolunt, de quibus in Cōmentariis meminit Caeſar;ſiue ij,quos Strabo Hercyniā habitaſse ſiluam, & Cimbros ſibi infeſtos fugaſse, ac deinde ſe

de ſe Thracibus immiſcuiſse tradidit. Quos inquam Gallos Boios Boroebiſtas Geta inde pepulit, ſiue, quos Noricam prouinciam deſeruiſse uideri uult Plinius; qui deſerta Boiorum ibi appellari ſcribit. quicumque tandem ex iis fuerint, Gallos Boios fuiſse liquet. Quo factum eſt, interiecto tẽpore, ut, quae antea Felſina, poſt a Boiis Bononia diceretur, quam etiam fuiſse caput Boiorum, ambigit nemo, qui cum Romanis diu poſtea bella geſſerunt, cũ ingenti quandoque Romanorum clade, prius quam ſecundo, ſiue, ut coniectari licet, tertio ſubigerentur, ſicut enodabimus, ne quis, parum aduertens, contraria dicat nos tradere. Itaque, pulſis Boiis, trium uiri ex ſenatus conſulto Bononiam coloniam Latinã deduxere: utq. cũ Liuio loquar, *deducta ſunt hominũ tria millia, equitibus ſeptuagena iugera, ceteris colonis quinquagena ſunt data. Ager captus de Gallis Boÿs fuerat. Galli Tuſcos expulerant.* Quibus uerbis etiã deprehẽditur, nullã, prius quam Etruſci gentem ibi aliã habitaſſe. quod opinioni cõducit noſtrae. Alioquin Liuius nota nõ caruiſſet, tacitis primis cultoribus, ſed tantum relatis Boiis, a quibus eiecti fuiſſent Etruſci. Quid enim magis attinebat tradere, quod Galli Tuſcos expulerãt, quã quos inde ij pepuliſsẽt, ſi qua gẽs eũ locũ prius Etruſcis coluiſſet? Dicẽtis autẽ, ab aliis ibi ante habitatum, eosque, qui fuerunt, ignorare, repugnantia deprehenderetur. Ecce, quo modo ſcriptores cõueniant, ſeq. uiciſſim probent. Ex uerbis Liuii facile deprehẽdas licet, dignitate ſua Bononiã Boiorũ fuiſſe caput: cum alia ciuitas nulla tam grandem acceperit coloniam, nec agri tantum uſquam ſit militibus emenſum. Nam Mutinae, & Parmae, non plus duobus millibus colonorum, ut comperio, deductum eſt. Alteri octona iugera, quina uero acceperunt alteri. Strabo quoque affirmat, inter omnes circa Padum populos Boios praeſtitiſſe, fuiſſeq. inde a Romanis eiectos, ut Liuius etiã tradit, & primas inter ciuitates cis Padũ locat Bononiam. quod etiã recte conſideranti conſentaneũ uidebitur, & ratio cogit affirmare. Ex captis namque ciuitatibus, ut in fide maneant, nõ

uulgus ignobile,ſed priores expelluntur,nouis inductis colonis. Itaque, quo maior deducta eſt colonia,plures ibi, uel bello abſumptos, uel eiectos inde,fateri decet. Quis igitur dubitabit, eam gentis principem fuiſſe,quam primores incoluerunt,cuique, mutato primo Felſinae nomine,ſuae gentis appellationem indiderunt. Flumen etiam, Bononiam praeterlabens, a Germaniae, prioris patriae ſuae, Rheno, Rhenum appellauerunt:delectati eadem fere ſoli amoenitate,ita,ut non modo deſeruiſſe patrium ſolum,ſed fuiſſe uiderentur aſſecutos.Hinc cura fuit praecipua,ut a Boiis Bononia denominaretur,uelut eam, quam ſibi primam conſtituerent ſedem, retinentibus ſua nomina reliquis ciuitatibus a ſe captis,quibus non tantum tribuerent: id quod etiam nouorum colonorum praeſtantia declarat,poſtquam in populi Rom.poteſtatem tertio uenit. Digniores miſſos fuiſſe colonos nobiliori ciuitati,& numerus militum maior,aſſignatiq. agri maior portio,ſatis indicat. Nam quina octona ue iugera Parmae, & Mutinae, inducti milites acceperunt. Quinquagena uero, & ſeptuagena nouis Bononiae colonis data ſunt, ut qui praeſtantiores eſſent,& digniore in ciuitate locarentur. Hinc facile apparet,quanti eſſet Bononia, quae fuit maiori Romanis curae in deligendis egregijs colonis, quam pro duabus adeo inclytis ciuitatibus,Mutina,& Parma.Eſt quoque huius rei in promptu ratio. Nam, cum Boij admodum bellicoſi eſſent, delegiſſe eos accommodam adgerenda bella ſedem cõuenit, quae alere exercitum poſset, cuiq. aditus quaquauerſum prae omnibus a Boijs occupatis urbibus facilior pateret.Ad haec profecto urbs nulla eſt ea in regione opportunior Bononia, quae, ut diximus, eſt magnae partis Italiae uelut ſpecula, & uadũ. eã iccirco res nouas molituri ſuarum partium facere ſtudent. Quod cum ſaepe alias, tum proximis ſuperioribus annis patuit, cum Bartholomaeus Bergomenſis, Venetorum ingẽti cum exercitu uenisſet, rem Florentinam euerſurus. obſtante Bononia,eius irriti fuere conatus, commiſso in uico Ricardinae,

agri

agri Bononiẽſis,memorabili,cruentiſſimoq. proelio,quo illis direpta eſt. Ego,aliquot annos antea,legatus ad Franciſcũ Sfortiam,Mediolanenſium Principem, nulli ſuperiorum imperatorum rei militaris diſciplina inferiorem,multis Martis uiris adſtantibus, cum in Bononiae mentionem incidiſset, eum dicentem audiui,quod ea erat Galliae ciſalpine aditus, & porta. indeq. in reliquam Italiae oram pons, atque inter utramque durus obex. Exiſtimo, quibuſdam prima fronte durum ſatis uideri, licet Plinii auctoritas egregia ſit, quod Bononia quondam fuerit princeps Etruriae. Quos forte mouet, quia nunc extra Tuſciae nouiſſimos ſita ſit fines. ſed hi uelim animaduertãt,prouincias fere omnes,potiſſimũ Europae,poſtquam rerum potiti ſunt Romani, mutaſſe fines, & uariaſse nomina.quaedam enim anguſtioribus limitibus coactae ſunt, aliae porrexere terminos. & priſcis temporibus alio nomine appellatas quaſdam conſtat.ut in propoſito de Gallia ciſalpina licet intueri.quam,ſi conſiderabimus diligẽter, nec fuit quondã pars Italiae, nec Gallia uocabatur,ſed potius Etruria.de omni ciſalpes regione loquor. Non me latet,partes quaſdã ſua forte retinere nomina, ut Inſubres, & Caenomanos. uniuerſa tamen regio Etruria dicebatur,ſicut Italia partes uariis appellatas nominibus habet: quamquam auctores,ſuperiorum temporum geſta referentes, poſterioribus eam nominibus appellent. id quod Liuius affirmat,cum rationes tranſitus Gallorum ad Italiam refert, libro quincto ab urbe condita: inquit enim: *Eam gentem, tradit fama,dulcedine frugum,maximeq. uini, noua tum uoluptate captam,alpes tranſiſſe; agrosque, ab Etruſcis ante cultos,poſſediſse, & inuexiſſe in Galliam uinum, alliciendae gentis cauſſa.* Cuius inquam Liuij auctoritate liquet, eam partem ab Etruſcis diu poſſeſsam, nec tamen appellatam tunc Galliam, niſi poſtea quam eſt a Gallis occupata. ſic & Senam in Vmbria, Senogalliam ab eis poſtea cognominatam,legimus. ſic Felſina prius,deinde,a Boiis, Boionia,ſenſimque,corrupto uocabulo, Bonomia eſt appellata. Eadem ratione omnis pars cis al-

pes uſque ad Apenninum, intraq. ſuperum, & inferum mare, quondam ab Etruſcis poſseſsa, Etruria tunc dicta eſt. Hinc Virgilius, Mantuae mentionem faciens, inquit, *Tuſco de ſanguine uires*. poſteri uero, ab occupatione Gallorum, Galliam appellarũt. Quod ſi quis infitiabitur, quaeſo, dicat, quo nomine ante Gallorum tranſitum appellabatur. certe non Gallia, ſicut plane colligitur ex Liuio, inquiente, eos tranſiſſe alpes, & inuexiſse inde in Galliam uinum, allicien dae gentis gratia: nec erat pars Italiae, cuius finis tum fuerat Aeſis amnis, qui inter Anconem, & Senogalliam mare influit ſuperum: uerum poſt, latius extenſa Italia, Rubicone terminabatur, eodem in mare labente inter Ariminum, & Rauennam. nouiſſime autem, quidquid ſupero, inferoque clauditur mari, complexa eſt, ut Strabo, certiſſimus auctor, ſcribit. Relinquitur ergo, a poſseſsoribus Etruſcis tunc denominatam Etruriam; ſicut poſt, a Gallis occupata, dicta eſt Gallia. hoc fraudauit nuper correctores Plinii, non aduertentes, Bononiam priſcis temporibus in Etruria fuiſſe, priuſquam a Romanis, rerum dominis, diuiſi regionum fines eſsent. Hinc abſurdum exiſtimãtes, eam Etruriae principem dici, corruperunt, mutantes, quod prius dicebatur, Princeps Etruriae, ut nũc legatur, Cum principis Etruriae eſset. uerum hic error multa emendatione tanti operis excuſandus eſt. At, ſi memoria tenuiſsent haec uerba Liuii, *Tuſcorum ante Ro. Imperium, late terra mariq. opes patuere, mari ſupero inferoq., quibus Italia, inſulae modo, cingitur, quantum potuerunt. nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi uocabulo gentis, alterum Hadriaticũ mare, ab Hadria, Tuſcorum colonia, uocauere. Italiae gentes, Graeci eadem Tyrrhenum, atque Hadriaticum uocant, & in utrumque mare uergentes, incoluere urbibus duodenis terras prius cis Apenninum ad inferum mare, poſtea trans Apenninum totidem, quot capita originis erant colonis miſſis, quae trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circum colunt, uſque ad alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus origo eſt.* Hactenus Liuius. Quem ſi animaduertiſsẽt

adſtipu-

adſtipulari Plinio,referẽtem,eiectos inde a Boijs Etruſcos, non bene poſita corrupiſſent. ſed non omnia ſinguli ſpectare poſsunt:atque *in opere tanto fas eſt obrepere ſomnum*,ut Horatius inquit. Ne miretur itaque aliquis,aut inuideat, ſi priſcis temporibus adeo praepotens fuerit Bononia, ut princeps eſset Etruriae: indeq. ex ſupradictis etiam coniiciat, eius tantam eſse uetuſtatem,ut originem ignorauerint ſcriptores. Cuius eſt indicium,quod eam poſteriori appellant nomine,rerum non ſatis priſcarum gnari,cum Felſina uocaretur. Dixi etiam,tertio, Boios a Romanis expugnatos in populi Romani poteſtatem uenifse.nec id palam,unde hauſerim, feci. propterea dictorum omnium reddenda eſt ratio. Si exſtarent de primo bello Punico opera Liuii, ſatis conſtaret,poſt primum bellum Punicum, Q. Fuluio, & T. Manlio conſulibus,primum Boios poſt illatas, & acceptas clades,ſe dediſse Romanis, ſicut Polybius, auctor grauiſſimus,tradit:deinde rebellarunt,ut tradit Liuius, non ſolum ob ueteres in populum Rom.iras,quamquã paullo ante circa Padum,Placentiam, & Cremonam,colonias in agrum Gallicum deductas aegre patiebantur. Quamobrem tantaui in eum ipſum agrum impetum fecerunt, ut non modo agreſtis multitudo territa ſit, uerum etiã triumuiri Romani, qui ad agrum uenerant aſſignandum,diffiſi Placentiae moenibus,Mutinam confugerint, ubi a Boiis ſunt obſeſſi. Tandem,non ſine magna exercituum Romanorum iactura,ſecũdo expugnati ſunt, circa aduentum Hannibalis in Italiam: quod licet coniectari:ut conſtet,Bononiã fauiſse Romanis in bello Cannenſi, aduerſus Hannibalem; quemadmodum clariſsimus poeta, Silius Italicus, refert, ſicut ante dictum eſt:quamuis id Liuius aperte minime tradat, ſed potius annuat, quam aduerſetur, cum dicat, poſt bellum Cannenſe adeo fractas Romanorum uires, ut omnes ciſalpini Galli a Romanis deſciuerint.uelut ii,qui ante parebant:quod praeſertim de Bononienſibus licet coniectari. cum Parma, Placentia, Cremona, & Mutina, prius Boiorum ciuitatesa,diu

antea-

antea uenisſent in populi Romani poteſtatem, acceptis coloniis Romanorum. quare non amplius Boiorum appellationem retinebant. Quam coniecturam etiam infra paullo poſt uerba Liuii affirmare uidentur, referentis, *apud Litanam ſiluam L. Poſtuminm conſulem deſignatum, atque exercitus a Boijs fuiſſe deletos, adeo ut uix ex uigintiquinque millibus armatorum milites decē ſuperfuerint. cuius maeſtitia, & pauore, Romae aliquot fuere dies tabernae clauſae. Quare T. Sempronius, habito ſenatu, conſolatus patres, Gallicum bellum differri conſuluit, admonens, ultionem fraudis Gallorum fore aliquando in deorum, ac populi Rom. poteſtate*. Quae uerba non congruebant niſi propter defectionis dolum, cuius dij uiolati forent ultores. Corrupta a ſua ſinceritate ſcripta Liuij praecipue huius belli Gallici me in hanc partem poetae Silii trahunt. Nam in primo belli Macedonici libro legitur, quod *L. Furius cum exercitu conſulari apud Cremonam Gallorum trigintaquinque millia fudit, & Hamilcar, dux Poenorū, ibi cecidit.* Mox in ſequenti, ſiue in tertio, ut impreſſi codices habent, ſcriptum inuenimus libro, quod *a Cornelio conſule Inſubres deſerti a Caenomanis deleti ſunt. et ibi Hamilcar, Poenorum imperator, qui belli cauſſa fuerat, captus eſt*. Quo modo enim capi potuit, qui occiderat antea? Abſit, ut Liuio referamus hunc errorem. qui eum ſumus aduerſus Laurentium Vallam tutati. Quod utinam mihi hac in aetate, non iuniore, contigiſſet. Cautior namque fuiſſem, e regno Seruii denos ſubducendo annos, quem triginta ſolum regnaſſe conſtat. licet quadraginta eum Laurentius pertinaciter in regno fuiſſe contenderet. Ea ſubductione hiſtoria Liuii, defenſio quoque mea dilucidior patebat. Sed redeamus ad cauſſam noſtrā. Menda librorum, & Silii auctoritas haec nos affirmare trahunt. Tertio uero, poſt illatas multas, paſſasq. clades, uicti a P. Naſica Boii, poſt biduum datis obſidibus, ſe dediderunt Romanis, multati plus dimidia parte agri. hinc tam grandem, nobilemq. coloniam eo miſerunt, ut ſupra retulimus, etiam quia, ut gloriatus eſt Naſica, ultimo in proelio tanta Boiorum caedes facta eſt,

ut,

ut,praeter pueros,& ſenes, eorum pauci ſuperfuerint. Sed, quorſum haec? Nempe,ut appareat,quod ſupra diximus,ſecundo a Romanis defeciſſe, & tantam fuiſſe Bononiam tẽporibus illis, dum eſſet Boiorum caput, quantam oſtendunt clades illata e Rom. populo, priuſquam eius poteſtatis fieret, etſi iam Mutina,Cremona,& Placẽtia gentis eiuſdẽ populo Rom. annos ſupra uiginti antea paruiſſent,ſola relicta Bononia.Interrogabit forte quiſpiam, cur alienam gloriam,Gallorum ſcilicet,Bononiae tribuam? Cui ſic reſponſum uelim,quod,ſi Bononia Boiorum gens originem externam habuit, tamen ante haec tempora annos fere quadringentos per ſucceſſionem ibi nata, educataq. fuit,ſub caelo, naturaq. eius loci:ut ueri Bononienſes facti diu fuiſſe dicantur.nam,ſi Liuio fides eſt,& polybio,regnãte Romae Priſco Tarquinio,Galli uenere in Italiam.A Priſci autem Tarquinii regno ad finitum primum bellum Punicum, cum coeptũ eſt inter Romanos, & Boios bellum, anni circiter quadringẽti interceſſere. Itaque iure meritoq. nõ amplius peregrini,ſed Bononienſes erant,qui tanto tempore ea in ciuitate natalium, educationisq. ſucceſſionem habuiſſent. Nos igitur,qui laudes Bononiae attingimus,praeter ſoli ubertatem, amoenitatem ſitus, & dexteritatem commercii,penetrandiq. quo libeat,eam Martis ſtrenuos, & ingẽtis ſpiritus uiros natura procreare oſtendimus.Quod ſi Bononiae quis me nimium tribuere arguat: quaeſo,det,cui praedicta referri debeant.cum dicat Strabo,praeter enumeratas ciuitates cetera eſſe ignobilia opida, uſque Ariminum, quae Bononiae parebant, eiusq. agri fuerant olim,ſicut elicitur ex Plinio,de lapide ſpeculari agente, quem tradit in Bononienſi Italiae parte naſci.Quamobrem,cum fere uſque Ariminum ea pars omnis ſpecularem proferat lapidem, Bononienſis fuiſſe ditionis aperte colligitur. Ad haec tam praeclara, quae tetigimus, non in ultimis laudum Bononiae exiſtimandum puto, quod ea fuit ex primis ciuitatibus, quae, aſpernata deorum gentilium cultum,fidem accepit Chriſtianam.

nam.quod ſic liquere poteſt. Anni mille & ſupra uiginti numerantur, ex quo Diuus Petronius, Epiſcopus Bononienſis, a iuniore Theodoſio priuilegium Gymnaſiii diſciplinarum omnium impetrauit. Ante eum uero uſque ad Zamam, primum Antiſtitem Bononiae, praeſules interceſſere nouem. quos uerisimiliter annos centum quinquaginta, ſeu forte amplius, uixiſſe credẽdum eſt. Hinc Bononiẽſes fidem Chriſtianam fuiſſe profeſſos colligitur infra annum ſalutis noſtrae ducenteſimum ſexageſimum, uel circiter id temporis, quo non erat adhuc Sena, obſeruabaturq. a pauciſſimis Chriſti religio. Hactenus de uetuſtate ſimul, & dignitate Bononiae ſatis ſit. Quoniam, cum de ceteris eius dotibus agemus, nonnulla quoque huiuſmodi, ut connexa, referre conueniet. Sita eſt Bononia ad Apennini radices montis, Aquilonem uerſus, tota orienti expoſita, in planitie admodum aprica, & parumper accliui, inter duo praeterlabentia flumina, Rhenum ad occidentem, ad orientem uero Sapinam. Ab ea flatus auſtri noxios ſupereminens arcet Apenninus. Intra munimenta per manufactam foueam Rheni pars magna deducitur, obiectu muri ampliſſimae molis in alueo ad deriuandam inde aquam ab ea parte, qua Rhenus labitur. Ex hac aqua ciuitati utilitas tanta prouenit, ut inde fluere aurũ credas. Nec ulla urbs tantũ ex naturali flumine publice priuatimq. emolumenti percipit. haec aqua filatoria ſericia uertit uno libratae aquae labentis tenore moderata: ut in quolibet eorum amplius mille quingentos nere ſimul colos faciat, ſine ulla humana ope, niſi adminiſtrando ſerico, nouisq. ad repletos ſubigendis colis. eadem papyrum elegantem ad ſcribendum parat, & in cudendo aere, ferro, poliendis armis, acuendis gladiis, ſecuribus, inſtrumentisq. fabrilibus, atque in ſecandis in aſseres lignis, frumento etiam molendo, ac ad lanae opus, fulloniaeq. arti, uſui eſt commodiſſimo. Quae inquam aqua cum extra munimenta ſe euoluit, nauigatur. ut a Bononia in Padum, ex Padoq. in mare facilis ſit omnium exportatio, inde quoque importatio re-

rum.

rum. Quid de ciuitatis amplitudine dicam? circumquaque munitae aqua a flumine Sapina, deducta ex aduerſa ciuitatis parte, qua Rhenus labitur, coercito alueo ingentis muri ſimili mole, ut de Rheno diximus. Nec tantum haec munit aqua ciuitatem, uerum intra labitur ad opus tincturae, quoniam ea prae ceteris huic rei conducibilior eſt, & mirifice coloribus egregiis pannos, ſericum, lanamque, afficit. Ea coriorum etiam confectioni, purgationi pannorum, excreſcentiarumq. ciuitatis, ac priuatarum domorum per ſubterraneas cloacas conducit abunde. Praetereo amplitudinem ciuitatis, uias latas, deorum templa magnifica, & ſplendidiſſima, turres editiſſimas, palatia, domos egregias priuatorũ, forum boarium, olitorium, pluraq. lignaria, & fenilia, quae partes uacuae capere Senam poſſent. quae licet habeat illã Hoſpitalitatis domum ſane celebrem, & praecipuam, tamẽ impar eſt hoſpitalitate omnium domorum ciuium Bononiae. Quod enim una in domo Sena agit, in ſingulis Bononiae comperies. Sed hoc tantum intereſt, quod Senenſes, ſola moti religione, Bononienſes autem non modo religione, uerum etiam benignitate, liberalitate, munificentia, conſuetudine quoque, hoſpitales ſunt: quamquam habeat plures domos hoſpitalitati communes Bononia, ſatis quidẽ egregias, impares ſingulae tamen ei, quam habet Sena. Quid agã de populi frequentia, ac uectigalium reditu, quibus in rebus Bononiae Sena, ut in ceteris, minime comparanda eſt. Nam conſtat, hominum millia duodecim factionis Gibillinae quondam e Bononia fuiſſe eiecta, annus eſt. 168. qui Fauentiam occuparunt. Omitto Cannetulorum etiam clientelam, annum ſupra fere triceſimum exſulantẽ, tam numeroſo comitatu, ut ciuitates, opidaq. finitima repleuerit. Id quod alias ſaepe factitatum eſt, ob ciuiles diſſenſiones, quibus cõuicinae ciuitates noſtris ſunt propagatae ciuibus. Nec adeo miranda eſt Bononia multitudine populi, quantum quod is eſt egregius, praeſtans, liberalis, benignus; prouocatus uero, ferox, nimiumq. audax. Haec de ciuitate. Agrum uero ha-

D bet, ut

bet, ut amoeniſſimum, ſic feraciſſimũ omnium fructuũ, quibus ueſcitur homo. irriguum quoque fluminibus, praeter iã dicta, Rhenum,& Sapinam, Lauino, Samodia, Idice, Cliterna, opidi, quod nunc non extat, amnisq. communi nomine; omnibus ex Apennino ad confluenta Bononiae, deinde in Padum, labentibus. Terminatur ad orientem, Silero flumine; a meridie, Apennini iugo; ab occidente, amne Scultenna; a ſeptemtrione, Pado. Et, praeter fructus ad humanũ uictum neceſſarios, nuſquam in Italia canabis electiſſimi tantum colligitur, quantum in planitie agri Bononienſis: praeſertim ad Butrii opidum, cuius haec eſt praerogatiua, quod nauium, anchorarumq. funes ex eo diutius durant:& cauſſa eſt, quod ualde reſiſtunt aquae, priuſquam interius penetret. nam denſius in funibus canabe noſtrum, quam alterius cuiuſuis loci, comprimitur. propterea ſerius imbibunt funes aquam; ſerius quoque ea ratione marceſcunt. Quod ex Venetis ſcire licet, qui noſtrum prae ceteris cupiunt, emuntq. carius. Nec montes, colleſq. aprici pro ſua condicione degenerant a planitie. Feraces enim ſunt uini, olei, nucum, glandium, caſtanearum, paſcuis, ac ſiluis, nemoribusq. abundant, aedificiis, igniq. fouendo conducẽtibus. Quanta uero arboris Mori copia ſit, ad alendos pro ſerico uermes, ars ſericia declarat: quae habet peculiare, ut genus id uelorum faciat, quod alia in ciuitate Italiae fieri tam parua impenſa nequit. Ex quo tam grandem mercaturam faciunt Bononienſes apud Gallos, Germanos, & in Europa fere tota, ut partem etiam Aſiae ſint attingere ſoliti. Sed, pro dolor, Turca haec, maioraque, turbauit. Nec paſcuis, armentoque, Bononia caret: quamquam maritima Senenſis, in hoc tantum frugi, alioquin aere noxia uitae hominis, paſcuis copioſior ſit. Sed, quid iſta contendo aſſerere? quaſi in ambiguo ſimus de copia, & fertilitate ſoli Bononienſis, cum ſit cognomento Bona, & Pinguis appellata Bononia. Quid de balneis Porrettae dicam? quibus ineſſe uis diuina uidetur ad omnes fere morbos curandos. hinc natum eſt prouerbium,

bium,

bium, Aut ſanare, aut perimere. Agerem de comitate, ac benignitate ciuium in extraneos, ſi non id etiam barbaris eſſet notiſſimum. Et, quamquam ad aſſerendam Bononiae dignitatem ſatis dictum ſit, hoc addidiſſe libet, Raro aliquid citra Romã in Italia geſtum eſſe dignum memoria, in quo non intercefferit quoquo modo Bononia. Nam, ut prius patuit, annos ante Romam conditam circiter quadringentos Bononia fauit Aeneae aduerſus Turnum in Laurenti bello; poſt uero conditam Romam, in proelio apud Cannas infeliciter geſto ſocia arma iunxit Romanis, auctore Silio in bello ciuili adſtitit M. Antonio cõtra Caeſarem Auguſtum, ut in epiſtolis meminit Cicero. Atque diuiſio imperii ab Octauiano, Lepido, & M. Antonio facta eſt ad confluenta Bononiae: ubi etiam de proſcriptione tot nobilium Romanorum conuenere. Nouiſſima praetereo, cum belligeratum eſt a Principibus Mediolanenſium diu cum Florentinis. Quo tempore ſemper utriuſque conatus fuere, quo ſuarum partium facerent Bononiam, ut foret uictor, cui fauiſſet. Quod ſaepius in magnis Italiae diſſenſionibus cis Romam contigit. Sed rerum capita maiora tangimus, non teximus hiſtoriam. Nec parui exiſtimandum eſt, quod Nero, ut Suetonius Tranquillus ait, pro Bononienſibus orauerit in ſenatu. qua in re futurus Imperator id non parum ſibi decoris arbitrabatur allaturum, ſi tantae ciuitatis, quanta erat ſuo tempore Bononia, patrocinium ſuſcepiſſet. Antea uero diu, quantae fuerit curae Bononia Romanis, poſt eam adeptam, Liuius oſtendit, tum ex iis, quae dicta ſunt, tum quia Romanus cõſul Flaminius, ingenti cum exercitu, contra Ligures miſſus eſt; qui agrum Bononienſem, & Piſanum, ita incurſauerant, ut coli non poſſet. Quibus ex Liuii dictis, quanta fuerit eo tempore Bononia, facile deprehenditur, quod utriuſque ciuitatis ager, nihil intercedente, iunctus erat. Idem etiam conſul uiam a Bononia ad Arretium ſilice ſtrauit. quod etiam Strabo refert; additque, uiam Aquileiam uſque perductam. Ceterum uero nec dum Sena erat, nec

diu poſt fuit, cum tot, tamq. praeclara, uel geſſiſſe Bononienſes, uel pro Bononienſibus fuiſſe geſta, liquet. Sed, ne hactenus a Sena condita uirtus, uiresq. Bononiae defeciſſe uideantur, ſubiiciamus aliquid, quod, ſtante Sena, Bononiẽſes egerint, etſi non nulla ſupra retulimus. Annus eſt fere ſexcenteſimus, quod Lotharius imperator, uexaturus Pontificem Romanum, ingentem exercitum cum filio Ludouico mittebat. qua re Bononienſes indignatione moti, quod ab eo, qui Romanum Pontificem tueri debuiſſet, tanta impeteretur claſſe, interceſſerunt, leuibus proeliis intercluſo itinere, ne ultra praeteriret exercitus; quo Romanus Põtifex interea temporis ſuis cõmode rebus conſuleret. Quod animaduertens Lotharius, qui Mediolani erat, ac indigne ferens, ab una ciuitate ſua conſilia, ſuosq. conatus euaneſcere, priore omiſſo uoto, uires omnes contra Bononiam uertit, eamq. diuturna obſidione omnibus Imperii uiribus fatigauit, atque ad ultimum multis damnis, cladibusq. affectam expugnauit; pro accepta quoque iniuria, magna ex parte reliquit immunitam: etiam anno abhinc ducenteſimo quarto ſeptem millia uirorum fortium in expeditione Chriſtiana pro Sepulcro Saluatoris noſtri a barbaris eximẽdo emiſit. Quibus Bononienſium in religionem Chriſti, Romanamque Eccleſiam, meritis uehementer admiratus ſum, quod Pius Pontifex Romanus, quem, pro ſua ſingulari doctrina, nihil latebat, ea Bononienſes affecerit ignominia, ut indigniores, meritisq. impares, eis praeferret. Sed danda eſt patriae caritati uenia, quae plus nimio in eo fuit: quod eius in ciues ſuos, patriamque, cumulata beneficia declarant. Tamen, quo magis in Bononienſes indigne actum eſt a Pontifice Pio, eo praeſentem Romanum Põtificem, ſi pro benemeritis praemia ſperare licet, proniorem ad honeſtam reſtitutionem fore adempti honoris, fidendum eſt. Et, quamquam tot malis a Lothario fuerit uexata Bononia, ut prope exſtincta crederetur, breui tamen eius adeo creuere opes, quod ſupra ducenteſimum abhinc annum Federico ſecundo, Ro-

manorũ Imperatori,cum ingenti ſe uenturum exercitu minitanti,ad excindẽdam,delendamque Bononiam,niſi iuſto proelio captum Entium Regẽ Sardiniae, eius nepotem, ſeu filium,ut alii tradunt,ſtatim carcere ſolutum emitterent; Populus Bononienſis in hunc modum reſpondit: *Si uenies, inuenies.non ſumus ut paluſtres arundines,quae leui agitantur aura: ferro cominus certandum eſt. ubi ſenties, non in multitudine, ſed in paucorum uirorum fortium uirtute, ſtare uictoriam. Regem iure belli captum tenemus, tenebimusque*. Reſponſio uere digna populo forti, & ſtrenuo, fuit. Nec tantum non eſt redditus Rex Entius, ſed duos & uiginti annos ſummo in honore, ut tali populo dignum fuit, ea in praetorii parte, quam hodie ab Entio Rege denominant, ad uſque mortem aſſeruatus eſt;& ſepultus Regio apparatu,in D. Dominici templo,conuentus Praedicatorũm, Regiis titulis, ſtatuaq; Regia, hoc inſcripto poetarum illius temporis epigrammate:

Tempora currebant Chriſti natiua potentis,
Tunc duo cum decies ſeptem cum mille ducentis,
Dum pia Caeſarei proles cineratur in arca,
Iſta Federici maluit quem ſternere parca.
Rex erat, & comptos preſſit diademate crines,
Entius, inq. poli meruit mens tendere fines.

Et,quoniam aduerſus Bononienſes eo in bello Regi Mutina fauit,ad eã expugnandam continuo populus Bononienſis acceſſit. Quae cum diutius obſidionem tuliſſet, ad ultimum,neceſſitate cogente,deditionem fecit.Nec laſſatus eſt populus Bononienſis tot uariis bellorum fluctibus, uerum paullo poſt, Venetis prohibentibus, ne mare Hadriaticum nauigaret, aduerſus Venetos tres annos bellum intulit ad Padi oſtia: ubi caſtello erecto, cum quadraginta millibus equitum,peditumque,pro ſuo iure decertauit. tandem, poſt leuia multa proelia, omnibus eſt utrimque uiribus ad certamen incurſum,in quo Veneti ſuperati, potentiore inſtructo exercitu,rurſum in bellum rediere. tamen, cum ſatis uirium pars utraque haberet, de pace potius agi placuit, quam ſe

commit-

committere fortunae. Itaq. conuenientibus, pax his condicionibus icta eſt: Vt Venetis Padi oſtia cederent, Bononienſibus uero liceret per ea ſal frumentumq. nauigio uehere ſine ullo uectigali. Quas condiciones in ſuo utraque ciuitas habet Archiuio. Quamobrem, aetate mea, bis oratoribus ad Venetos miſſis, petitum eſt. ut ex conuēto per oſtia Padi ad nos importari ſal permitterent: qui potentiores facti, quod nos etiam ab ea fortuna imminuti ſumus, conuentorum aſpernātur iura, antiquata ea eſſe dicentes. Poſſem bellum uno proelio confectum cum Principe Mediolanenſium, annus eſt octogeſimus, referre. Quia tamen auxiliario ad fundendos, fugandosq. hoſtes milite uſi ſumus, non feram in ſummam Bononienſium laudem, quando ea communis cum externo milite fuit. Quae tamen uictoria eam anteit, quam uel ſolam habuere Senēſes aduerſus Florētinos, a Manfredo, Siciliae Rege, Florentinisq. exſulibus, adiuti. Quoniam autem dixi, ex Malauolta, familia Senenſi, quoſdā prodiſſe in re militari ſtrenuos uiros, nō modo familiam unam, decem ue, aut centū, oppoſuerim uni Senenſi, ſed populum Bononienſem uniuerſum: ut ſinguli ciues, ſi de re militari ages, ad aliud nihil eſſe nati uideantur. Et, ne, ut diximus, ſenuiſſe uirtus Bononienſium ſenſim dicatur, nouiſſima referamus. Non diu eſt, quod Comitem Loyſium Vermem, cum exercitu Philippi, Mediolanenſium Principis, incurſantem, uaſtantemq. agrum Bononienſem, fretū quoque arce, quam idem Princeps intra ciuitatem magno cum praeſidio tenebat, populus Bononienſis, Duce Hannibale Bentiuolo, primario ciue, fudit, fugauitque, non praeter moenia urbis, ſed ultra decimum a Bononia lapidem, dimidia plus parte exercitus aut caeſa, aut capta, cum impedimentis omnibus. Omitto infinitos ferme rei militaris peritiſſimos referre uiros: quales aetate noſtra fuere, Eques Rizardus, ex Pepulorum familia, magnorum exercituum imperator, quem puer ſenem uidi; Ioannes Bentiuolus, auus Hannibalis, de quo nuper memini, & praeſentis Ioannis abauus.

Quid de Equite Lodouico Maluicio dicam, ſummis titulis inſignito, uno ex tribus fortiſſimis Martis uiris, qui Philippo Vicecomite uiuo ad uſque portam orientalem Mediolani hoſtiliter quaeque ſternentes intulere arma? quod ſub tanto Principe mirum fuit. Sed, quid iuuat ſingulatim referre, quod in ciuibus elucet uniuerſis? Nonne Galeatius Mareſcottus, ingentis ſpiritus eques, rem plus admirationis, quam fidei, apud poſteros habituram eſt auſus? qui, ſocijs tantum quattuor delectis, proceſſit in agrũ Parmenſem, noctuq. clã ſitu, & arte munitiſſimam, editiſsimamq. arcem Varani, opidi Parmenſis, ſubiuit, ac, eius praefecto arcis capto, cum tot cuſtodibus, uno tantum interempto, paucitatem eorum ſpernente, inde aſſeruatum in compedibus Bentiuolum Hannibalẽ, nullo ſentiente opidanorum, eduxit Bononiã: ubi continuo eã a Piccinino oppreſſam in libertatem uindicauerũt. Non milite conducto, ſed ſuis huiuſmodi ciuibus, ſemper referta Bononia, ſupra hominũ fidem res praeclaras geſſit. Et, quia, ut dixi, nõ ſedet animo, referre omnem hiſtoriam, ſed paucula ſummatim attingere, quo Senam conſtet nullo modo cum Bononia comparandam eſſe, praetereo, quod Rauenna, Ceruia, Fauentia, Imola, Ferraria, Placentia, Parma, Regium Lepidum, Mutina, & quidquid etiam terrarum interiacet cis Padum ad radices Apennini, Bononiae quondam paruit. itaque ante urbem Romanã conditam non modo princeps eius regionis fuit, ut Plinius auctor eſt, ſed his etiam fere nouiſſimis temporibus; quamuis nunc, agro contenta ſuo, tranquilla fruatur pace. Ex ante dictis coniecturam facio, ob tam latum imperium, ingentemq. potẽtiam, populi Bononienſis, in magna Italiae parte conſuetudinem ortã; ut, cum ratio pecuniae haberetur, ad librã Bononenorum calculus, ſermoq. fieret. quod in multis hodie obſeruatur ciuitatibus: ſicut de Turonenſi apud curiales Romae agitur. Salubritatem uero, aeriſq. temperamentum, longaeua ſeniorũ aetas indicat. Cuius rei Plinius teſtis eſt, qui T. Fullonium Bononienſem centum, & quinquaginta, & L. Terentium,

tium, Marci filium, centum & triginta duos uixiſſe annos tradit. Praeſidente quoque Bononiae Sabello Protonotario, iuris conſultus haud ignobilis Gratiolus Achariſius, annum decimum ſupra centeſimum praetergreſſus, naturae conceſſit. Quartum & centeſimum agens annum, ſuperiore anno, in Kalendis Octobris, in uicinia mea, Ioanna Arengheria, uenerabilis uidua, ſuum diem obiit. De agentibus, praetergreſſisq. annos octoginta, & nonaginta, etiam aliquot ſuperſunt: quos adhuc diu uicturos, ex uiuaci adſpectu coniicio. Auia Baptiſtae Manzoli, praeclari ciuis, ſecundo & quinquageſimo ſuae aetatis anno Lodouicum, Baptiſtae patrem, enixa eſt; & Camilla, conſanguinea mea, quae adhuc cum filiis ſupereſt, poſt quinquageſimum annum bis peperit, & compreſſa tertio poſt menſes quattuor abortiuit. Sed, ne in re manifeſta longior ſim, praeter Strabonis auctoritatem, de dignitate regionis ciſpadanae adductam ſupra, libet Plinii uerba ponere, cum ſpatia quorundam longioris uitae refert, eiuſdem ore. inquit enim: *Ac, ne pluribus moremur in re confeſſa, in regione Italiae octaua centum annorum cenſi ſunt homines quinquaginta quattuor; centum denum homines, quinquaginta ſeptem; centum uicenum quinum, homines duo, centum tricenum, homines quattuor; centum tricenum quinum, aut ſeptenum, totidem; centum quadragenum, homines tres*. Attingamus nunc, ut de Sena factum eſt, quos habuit illuſtres uiros Bononia: ut Honorium Secundum, Pontificem Romanum, cuius abegit ſepulcrum Pius Pontifex ex Baſilica beati Petri; ubi ſuum nunc eſt ſitum cadauer, cum glorioſis titulis. Fuit etiam Lucius Secũdus, Bononiẽſis ciuis, ex Caccianimica familia. Et, cum multos habuerit Bononia Reuerentiſſimos Cardinales, quotquot alii dederint, ſatis erit unum appoſuiſſe Nic olaum, tituli Sanctae Crucis, ex Albergatorum uetere familia, cuius quae uitae ſanctimonia, qui mores, quae uirtutes, quae doctrina, quae merita fuerint, illud unum illuſtre facinus pacis oſtendit firmatae, ob ſanctitatis eius reuerentiam, cui refragrari puduit, inter Gallos, Anglicos, &

cos,& Burgundos,multos annos irarum odiis, crudeliſſimo-
que bello, ardentes. quo maius nullum aetate noſtra apud
Chriſticolas commiſſum audiuimus,tot millibus hominum,
Regum, Principum, & clariſſimorum uirorum,internecio-
ne, tot ciuitatum, opidorumq. ruina, tot incendiis,tot ra-
pinis, tantaq. paſſim crudelitate, tot annorum ſpatio. Ha-
buit etiam Bononia ſanctos uiros, Vitalem, & Agricolam,
ſuos ciues, alterũ ex Papazonũ, ex Scanabitia familia alte
rũ. Praetereo Proculum,qui ſecuri Marinum tyrãnum occi
dit. Diximus, Senã Gymnaſio litterarũ illuſtrari,quo etiam
Bononia a Theodoſio iuniore decorata eſt, Regum,Princi-
pumq. Chriſtianorum paene omnium conſilio, auctorante
quoque ſua praeſentia Caeleſtino, Romano Pontifice. Cu-
ius inquam Studii tanta laus eſt, ut, ſicut Athenae quon-
dam apud Graecos inuentrices diſciplinarum appella-
tae ſunt,ita ſit apud Latinos nunc Bononia magiſtra,inuen
trix,ſeruatrixq. litteraturae, omnisq. eruditionis. Hinc cla
riſſimus iuris interpres Baldus Peruſinus Bononiam Re-
giam ciuitatem appellat: ſcribitq. infinita mundi lumina
uel genuiſſe, uel alibi rudia nata, eoque appulſa, edocuiſſe.
Et Angelus Arretinus, Baldo ſcientia iuris ciuilis haud infe
rior, me audiente, ſaepius dixit, ſe plus debere Bononiae,
quam Arretio, quam patri; quod ab iis, ut eſſet, a Bononia
uero, ut bene eſſet, acceperat. &, ſicut auiũ, aer; aqua, piſciũ,
ſedes eſt propria: ita Bononiam diſciplinarũ omnium alu-
mnã, doctorumq. uirorum eſſe officinam, praedicabat. ut ha
beretur indoctior, qui litteras non hauſiſset a fontibus, exũ
dantiq. Bononiae pelago. Propterea, qui externis litteris
imbuti fuiſsent, uenire Bononiam ſuarum lucubrationum
lauream accepturi: ut, ubi coronati eſsent, ibi etiam didiciſ-
ſe uiderentur. Quod factum memorabile Chriſtierni, Regis
Daniae, anno abhinc tertio comprobauit: qui, Romam pe-
tens, cum omnia ferme Italiae litterarũ Gymnaſia, uel eun-
do, uel redeundo peragraſset, excellentia, & dignitate, mo
tus Bononienſis Studii, delegit tantũ in eo, duobus ex ſuis,

alteri in iure ciuili,alteri in medicina, Doctoratus inſignia conferri.In qua re illud praecipuae admirationis fuit, quod in ſuggeſtu,pro more,in D. Petri Eccleſia,facto,ubi doctoribus conſidendum ad danda erat inſignia,& locus editior,ac Rege dignus,ornatu ſingulari paratus fuerat. Rex, ueneratus Gymnaſii dignitatem, indecorumq. ratus ſibi fore,ſi eminentior eo in ſapientium conuentu ſederet, pari ſubſellio,cum eis aſſidere glorioſum ſibi eſse reſpondit,quos uniuerſus orbis ſumma ueneratione proſequeretur. quod omnes,qui aderamus, ſumus admirati,orbis extremae partis Regem tanta reuerentia motum,ut ſe nequaquam ſit paſsus exorari, quod eminentior ſederet. Praetereo, quae refert Accurſius de Gymnaſii Bononienſis praerogatiua; & quibus non modo ciues,ſed etiam ruſtici noſtri gaudeant priuilegiis. Quod ſi cuncta recenſere uoluero, grandi uolumine opus erit. Verum,omiſſis externis, quos ſine numero diſciplinas Bononiae percepiſſe ignorat nemo, aliqui ex noſtris referendi ſunt,ante quam Sena eſset, & donaretur priuilegio ſtudiorum omnium diſciplinarnm Bononia. Quo palam fiet,praeter loci conuenientiam,qua motus eſt Theodoſius,eam, uelut a natura inſtitutam,litterarum domiciliū fuiſſe.Cicerone teſte,Graecis,Latinisq. litteris C. Ruſticellus Bononiēſis eruditiſſimus fuit. De quo inter praecipuos oratores mentionem facit. Et L.Pomponius, Atellanarum ſcriptor,Bononienſis fuit. Sic Rufus quoque, poeta egregius, ex noſtris habetur:de quo Martialis ait:

Funde tuo lacrymas orbata Bononia Rufo:
Et reſonet tota planctus in Aemilia.

Sed,ne Sena queratur, quod, ſe ſtante, nihil de liberalibus diſcipilinis agimus,ſicut de rebus geſtis actum eſt, omiſſis priſcis, qui facile poterant ſine controuerſia clari eſſe,cū ſit parui laboris, non exſtante aduerſario ſe uictorem agere; nouiſſimos attingamus,coaeuos Senēſibus, ne ſuo unico iureconſulto Federico tot noſtrorum numeroſum agmen poſſe obrui perſuadeant. Quem,ſiue in Pontificio,ſiue in ciuili iu-

uili iure parem mihi Sena dabit Ioanni Andreae, Ioanni Fantucio, Iacobo Butrigario, Antonio Butrio, duobus Salicetis, totidem Caldarinis, Bulgaro, Odofredo, Azoni, Pileo, Vgolino, tribus gloſsatoribus, a quibus Accurſius fere cuncta, quae ſcripſit, accepit, item Alberto, & Franciſco de Ramponibus, Alberico de Roſa, Macagnano, Butrigario, Aegidio Fuſcarario, Iacobo Beluiſo, Paullo Leazario, Ioanni Lignano, Iacobo Balduino, Sulimanno, Formaglino, Petro de Cernittis, Ancharano, Floriano, Mattaſelano. Sed, quis queat enumerare omnes? Non immerito igitur Gratianus, ut maiorem uigilijs ſuis auctoritatem praeſtaret, operi ſuo inſcripſit, *Ad ſcholaſticos uiros Studij Bononienſis*, ubi didicerat, opusq. illud diuinum compoſuerat. Librum etiam ſexti Maximus Pontifex Bonifacius itidem Gymnaſio Bononienſis dedicauit. Hinc merito, ob litteraturae dignitatem, nũmus aureus Bononienſis his imprimitur uerbis, *Bononia docet*. Afferamus etiam Medicos, & Philoſophos, quorum ſcriptis & medicina, & philoſophia illuſtrata eſt. Habuit Albertum Zancharium Bononia, Iacobum Montecaluum, Chriſtophorum Honeſtum, Petrum Tauſignanum, in quo, ut in Hiſpania accepi, praeter eius egregia ſcripta, tanta fuit medendi ars, & doctrina, ut alterum diceres Aeſculapium. Hunc Henricus, Caſtellae Rex potentiſſimus, Henrici, qui nuper obijt, auus, ad ſecurandũ acciuit: ſanusq. factus, magno donatum auri pondere in patriam remiſit. Quid de Mundino dicam? qui humani corporis compagem, rationemq. partium quarumcumque, etiam minutiſſimarum, uno codice tradidit, qui de Anatomia liber inſcribitur? Exſtant eius etiam pro ſingularibus morbis praeclara conſilia. Claruit & Gaſpar, qui nuper Imolae fuit Epiſcopus, licet in philoſophia, & dialectica, pauca ſcripſerit. ea tamen, quae reliquit, indicant, quanti uir fuerit. Non praeteribo praeceptorem eius Nicolaum Fabam, cuius tanta fuit in diſputando auctoritas, ut alterum diceres Ariſtotelem: quamuis & ipſe nihil fere ſcripſerit.

Ei etſi aemulatione ſtudiorum infeſtus eſſet Vgo Senenſis; quod eoſdem medicinae codices eadem hora Bononiae ad concurrentiam, ut aiunt, ambo legerent, non ſe tamen Vgo continere potuit, (tanta eſt enim uis ueritatis) quin ei aſſiſteret in diſputatione, quam celebratiſsimam habuit Nicolaus cum Paullo Veneto, qui tanta in philoſophia ſcripſit. Erant in conſeſſu octingentorum, aut eo amplius, fratrum heremitarum, qui Bononiae Capitulum celebrabant, praeſidente Cardinali ſanctae Crucis, de quo ſupra meminimus, diſputantes de uiribus, & potentijs animae, ac de unitate intellectus. Et, cum Paullus opinionem Auerrois tueretur, impugnaretq. Nicolaus, tandem irretitus Paullus, atque implicatus, ſibi contraria cogebatur aſſerere. et, cum ſe ambagibus praetegere conaretur, aſſurrexit Vgo, in tanto patrum ſilentio, exſpectantium diſputationis euentum, atque acclamauit, Vera dicit Nicolaus: captus es, Paulle. Ad cuius uocem Paullus, indignabundo ſimilis, ſubiecit: O Deus bone, Herodes, & Pilatus, facti ſunt amici. Tantus eſt inde riſus patrum excitatus, ut paene ſolueretur diſputatio. Bartholomaeus Varignana librum condidit utiliſſimum practicae, & chirurgiae. Non ne apud medicos (quod Bononia, & Patauium, Medicinae quaſi oracu lum ſunt, fueruntq.) ſaepe refertur inter diſsentientes. Haec eſt opinio uel Bononienſium, uel Patauinorum: uelut nefas ſit, eis refragari: sicut de philoſophorũ ſectis dicitur, Haec eſt Stoicorum, haec autem Peripateticorum ſentẽtia. Quid dicam de Baueria, nato Imolae, ciue tamen noſtro ex auo Bononienſi, cuius tanta eſt uis medendi, ut Deum eſſe, non medicum, putes. Eius in dialectica, philoſophia, & medicina, paucis tamen adhuc communicati exſtant, a me uiſi tamen, plures ſcripti codices. Non ne etiam in theologia ſcripſit Michael Carmelita, ciuis noſter? Non eſt obticendus Ioannes Planchinus, arithmeticus, & geometra praecipuus, paene Euclidi par, qui miro artificio aſtrorum tabulas edidit, ut sine labore calculus quam breuiſsime motus, caelo-

rum,ſiderumque,deprehendatur. Sed iam ſatis uirorũ in omni doctrina praeſtantiſsimorũ, ſi iuſtitiae locus fuerit, recenſuimus:ut cõparata Bononiae Sena cedat ſine indignatione. Abunde quoque demonſtratum eſſe reor,Bononiam uetuſtate,dignitate,diuitiis,Sapina,ſitu, caelo, fertilitate agri,copia rerum, ciuium praeſtantia, populi magnitudine, rerum geſtarum gloria, ſupra Tuſcam Senam florere, ſemperq.floruiſſe. Haec omnia ſi ad ea referre uoluerimus, in Politicis quae breuiſſime poſuit Ariſtoteles, conſtabit, Senae praeſtare Bononiã. fertilitate nãque agri ditiorẽ eſſe,antiquitate uero ſupra tres Senae aetates fuiſſe Bononiam,ambigit nemo. uirtute autem,quod tertium erat,& praecipuũ, ſiue moris,ſiue intellectus,quantum excedat Bononia, ſatis diximus; librorumq. uolumina a noſtris condita liquido patefaciunt. Et inſani hominis eſſe puto, in re adeo manifeſta probationes, & teſtes, ulterius expoſcere. Tamen hoc adiiciendum cenſui:Innumera fuere Bononienſium fecunda,& felicia, ingenia, a quibus tot uolumina librorum in omni genere doctrinae cõpoſita ſunt, ut docti uiri laſſentur eorumlectione. Contra uero, mira eſt ſterilitas Senae, ex qua tres tantum uiri enumerati ſupra prodiere,in tanta Studii diuturnitate. Quae hucuſque ad praerogatiuam Bononiae adduximus,infitiaturum puto neminem.ſed,habere aduerſarios hoc refugium, quod abſoluta in libertate, ſuoq. imperio,Senenſes uiuunt,Bononienſes autem a Chriſti Vicario depẽdere,ac circumſcripta libertate frui,hoc eſt,quod obiectare poſſunt: egoq. id ipſum cupio. qua in re una, licet abeſſent cetera, praelatum iri Bononiẽſes,ratio admoneret. Certum eſt,auctore Ariſtotele, immo uero ſapientium omnium ſententia,quod uniuerſa metitur ordo:qui ut perfectus ſit, quaeque ad unum referri principium eſt neceſſe; alioquin irent in praecipitium cuncta. hac ratione Chriſtianorum ſacroſancta Religio duos, ſubalternos tamen, nutu diuino Principes ordinauit, uelut uniuerſorum capita. Eorum primus eſt,Summus Pontifex Romanus, alter Impera-

tor,

tor,minor tamẽ Dei Vicario,quod illi pareat,oportet. quo, inſtar ſuperni regiminis, hoc quoque inferius ab uno defluat principio. Ad hos,quantum ad inſtitutum noſtrum attinet,Reges omnes,Principes,nationes,potentatus, ciuitates,& populi relationem habere decet: ut uniuerſi ordo ſeruetur. Duobus his quoque quaſi principijs modus eſt, ut ſit altero ſuperior alter,quo ſit primas unus,ut dictum eſt: liberiores ergo ſunt, qui Romano immediate Pontifici parent, quam qui ſubijciuntur Imperatori, quod, ſub eius ditione poſiti, bino innodati ſunt reſpectu, quoniam Chriſti Vicario,ut primo in terris Principi,parendum eſt etiam. At fortaſſe aliquis obiiciet,Senenſes,ſui iuris, neutri parent. id ergo erit aut excellenti eorum uirtute,qua pro ſuis meritis facti ſunt immunes,aut imbecillitate imperii ſimul, & contumacia repugnantis populi.Quod ſi eorum meritis,& uirtuti datum eſt, ut eo ab ordine admodum neceſſario exempti ſint,(quamquam id infitior) tamen,cum ſint,ut patuit,inferiores Bononienſibus,etſi digni exſiſtunt, quibus multa tribuantur,non propterea praeferantur decet, ſi amplioribus meritis,uirtutibusq. primus debetur honos. nec imbecillitas imperii,aut rebellio ſubditorum ualet ad aucupanda bene merentiũ praemia. immo uero,contra, maieſtatis rei iudicandi ſunt huic ordini repugnantes. Tales itaque honeſtare,nihil aliud eſt,quam ad contumaciam ceteros allicere. Neque abſolutior ſane libertas potior eſt ea,quam honeſtis temperatam condicionibus moderatur aequitas, ut refert Lucanus, agente ad Metellum Cotta:

Libertas,inquit,populi, quae regna coercet,
Libertate perit:

Et Liuius de bello Macedonico, Quinctium,Romanum imperatorem, Corinthi conuentu Graecarum ciuitatum edicto,inter cetera,quae admonuit, dixiſse refert, quod libertate modice uterentur,temperatã eam,ſalubrem eis, & ſingulis ciuitatibus;nimiam,& aliis grauem, & ipſis,qui habebant, praecipitem, & effrenatam eſse. Cui pulcherrimae

ſenten-

ſententiae quadrat, quod in Politicis Ariſtoteles tradit, ſic inquiens: *Quanto enim magis reſtringitur poteſtas omnis, tanto maiori tempore neceſſe eſt eam durare. nam & ipſi, qui regunt, minus ſuperbiũt, magisq. moderati fiunt; & illi, qui reguntur, inuidẽt minus.* Et alio in loco ait: *Cõpeſci enim, ac non licere facere quid quid quiſque uelit, utile eſt. nam licentia agendi quod quiſque uelit, cuſtodire non poteſt ingenitam cuique hominum prauitatem. Praeterea, uera libertas eſt, communi ſtudio uiuere ſub legibus: ne cui liceat niſi quod lex permittit; ſi debet humana ſocietas in libertate cõſeruari.* Quae cum uera ſint omnia, profecto non erunt digniores Bononienſibus Senenſes, etſi abſolutam habeant libertatem. nam, quo liberius poſſunt, eo periculoſius errare, labi, decipi, contingit. non enim ſemper affectibus animus uacat, in iis praeſertim, quae non ſunt ſancita lege, ſed pro arbitrio geruntur; cum ſit difficillimum, immo impoſſibile, aequaliter omnes in Rep. ualere, etſi id in primis libera in ciuitate adeſſe conueniat. Quamobrem uel ira, uel odio, aut cupiditate, aut metu, qui ſunt in Rep. principes laceſſiti, reliquos, pro eorum immodeſto uoto, ad perperam decernendum ſepe trahunt. Vtinam non uera dicerem. Sanctiſſime itaque in Politicis inquit Ariſtoteles, *Qui legem praeeſſe iubet, uidetur iubere Deos praeeſſe, & leges; qui autem hominem iubet praeeſſe, adiungit & beſtiam ſaeuam.* Libido quippe talis eſt, atque ira: obliquos etiam agit uiros optimos, qui ſunt in poteſtate. ex quo mens abſque appetitu lex eſt. Propterea quidem ſanctior eſt, & melior, circumſcripta, & moderata, libertas, ut Quinctius ſupra monuit, traditq. Ariſtoteles, quam quae abſoluta eſt ad antiquandas ueteres, nouasq. condendas pro ſuo deſiderio leges, nullo moderante: cum ſit plebis natura, ut inquit Liuius, ſi recte auctoris memini, *Aut miſere, demiſſeq. ſeruire, aut ſuperbe dominari.* Quod de libertate populari dictum intelligo, in qua promiſcue admittuntur, cum nobilibus, ignobiles, qui longe plures ſunt: ubi tamen adminiſtrant ſtudioſi, eam, Platone teſte, non modo beatam, ſed beatiſſimam, fateor. At, ſi quis mo

derator adſtiterit in populari, ſine diſſidio Reſp.iuſtius gubernatur, Mantuano teſte poeta, his uerſibus:

Ac, ueluti magno in populo cum ſaepe coorta eſt
Seditio, ſaeuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq. faces ad tecta uolant, furor arma miniſtrat,
Tum pietate grauem, meritis ſi forte uirum quem
Conſpexere, ſilent, arrectisq. auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Quod in noſtra quieta Rep. licet contemplari, in qua ſi forte magiſtratus minus recte ſentirent, aut populi ſuffragia bonis non reſponderent uotis, retinaculis tamen praeſidis pro Romano Pontifice iuſtitia praeteriri nequit. Quod in praeſentiarum ſub Diuo Frãciſco, Cardinali Mantuano, iuuat ſpectare; cuius ductu, & auſpiciis, auream agit populus Bononienſis aetatem. Non ſedet animo, libertatem Senenſem propterea impugnare, ſed utriuſque ciuitatis regimen conferre: ne illis recta uiuendi diſciplina uideatur Bononienſis populus inferior. Abſit a me, ut de ciuitate, ſemper Reip. noſtrae amica, quidquam indignum referam. Non eorum libertati detraho, qui ſummis certe laudibus ſunt efferendi: ſed, ne Bononienſi detrahatur dignitati, contendo. Quaenam eſt cuiquam iniuria, ſi meae dignitatem patriae tueor? profecto nulla. His condicionibus, quas diximus, libertate frui, non ad ſeruitutem Bononienſibus tribuendum eſt, ſed ad legitimã uitae inſtitutionem, atque ad eum ordinem, quo, ut bene ſuccedant omnia, cuncta regi eſt neceſſe. Bene igitur inquit Horatius:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraq. nequit conſiſtere rectum.

Et ſicut a tyranno captus ſua non fuit imminutus laude Plato, ita nec Bononia, nec Sena, si quando tyrannorum ui premuntur, a ſua cadunt dignitate, niſi uileſcerent, non uindicando ſe in libertatem, cum datur occaſio. Sed, pro dolor, Bononiensibus ea eſt fortuna, quae uenuſtiſſimis euenire ſolet feminis, quarum pudicitia, cupiditate hominum

ſpecioſa

ſpecioſa deſiderantium,eſt periculoſa. Ita fertilitas agri Bononienſis, cõmoditas alẽdi exercitus,dexteritasq. penetrãdi ex Bononia quaqua uerſum cupias ad res ſeu nouandas, ſeu iam motas ſecus uertendas, effecit,ut Italiae Principes eam ſui iuris, aut partis,facere molirentur.hinc continuis uexationibus preſſa fuit ſemper. unde ambitio, dolusq. cupientium Italiam premere, tot naturae beneficia nobis in deterius uerterunt. Dicendum fuerat,quod alia eſt gubernatio popularis,alia potentum,optimatum alia: quarum diuerſi ſunt fines.Popularis amat aequatam inter ciues ſine diſcrimine libertatem.Potẽtes uero diuitias expetunt. At ſecũdum uirtutem optimatum eſt actio. horum quippe diuerſitas finium uariam hominum parit de felicitate opinionem; ſecundũ eam concipientium Rerũp. excellentiam. De his late diſſerendum fuerat,ut,cui finis,actioq. potior foret inſtituta,ſic ea praeſtantior iudicaretur:cũ,teſte Ariſtotele, *idẽ finis uideatur eſſe publice, & priuatim hominibus*. quare definitio erit eadem uiro optimo,quae Reip. optimae fuerit.uerũ haec diſcuſſio ſine alterius ignominia fieri nequit.cui parcere,penitus ſedet animo,propter ueterem utriuſque inter ſe ciuitatis amicitiam:& turpe foret, de uirtute agentem amicos laceſsere contumelia. quod ab ingenio meo, & humanitate,ſemper alienum eſse iudicaui. Praeterea,ex antedictis, licet ſignanter id minus expreſſerim,liquere ſatis reor, harũ utrãque ciuitatum ſui iuris antiquam eſse.quod eſt primum, Ariſtotele auctore, nobilitatis indicium. Eae namque ſuos magiſtratus deligunt,honores,munera,& onera, ſuos inter ciues diſtribuunt, uectigalia quoque pro Reip. beneficiis exigunt, & impendunt, nulliusq. dominatu preſsae ſuis etiam legibus uiuunt.quod utriuſque ciuitatis nobilitatem oſtendit.quae eo illuſtrior eſt,quo eam, tum in otio, tum in negotio,ciues egregii,cum ſe obtulit occaſio, clariſſimis actionibus,rebusq. memoratu dignis,exornarunt, ornatamque omni tẽpore conſeruarũt,conſeruatamq. feliciter auxerunt.Qua in re quantum inter ſe differant hae ciuitates,abũ-

de ſatis explicatum puto. Et, ne cui ſcrupulum faciat aequiuocatio, qua plures in errorem ſaepe labuntur, enodandum cēſui, Quid inter Dominatum, & Gubernationem, interſit. Alter enim a tyrannide differt nihil; uerum Gubernatio liberorum eſt. Inter quos ſunt magiſtratus, qui regunt; reliqui uero reguntur; liberi ſunt tamen omnes; ſicut filii, patre; & uxores, marito gubernante. Cum uero tyrannus dominatur, eius beneficio, & ſubiectorum detrimento aguntur cuncta: quale eſt opus ſerui ad dominum. propterea eleganter inquit Ariſtoteles, *Imperium, aut gratia imperantis eſt, aut gratia eorum, qui reguntur*. horum alterum ſeruorum eſſe dicimus, alterum liberorum. hinc recte Chriſti Vicarium Patrem appellamus; ipſe uero nos Filios, ſeq. Paſtorem, uocat. Haec libuit referre, ne quis, ductus aequiuocatione, quod auctoritate Summi Pōtificis noſtram libertatem, ac Remp. gubernamus, nobis dominari Eccleſiam dicat, ac propterea coinquinatam eſſe nobilitatem argumentetur noſtram. cui, ut ſupra, ſic quoque nunc reſpondemus: cuncta ſeruari ab ordine, eoq. fine, labi certum eſt: quem qui refugit, a mortalium ſocietate, uelut immanem, abiiciendum arbitror. etenim, ſi foret in ciuitate libera, qui propterea nollet uereri magiſtratus, legibusq. parere, ſed pro ſuo uiueret uoto, affirmans ſe liberum, & libera in ciuitate natum; num is uel morte, uel exſulio, & bonorum publicatione, multandus eſſet, id quidē infitiabitur nemo. Eſt itaque neceſſe, pro uniuerſarū conſeruatione rerum, ad unum caput, & principium, ſingula referri. quod ſine legibus fieri nequit: quae aliud nihil ſunt, quam cōmuni ſtudio, ſecundum uirtutem ordo uiuendi, in quo uera eſt, & ſincera libertas: alioquin praecipitarentur omnia. Hactenus ex deductis clarum eſt, Senae admodū praeferendam eſſe Bononiam: ſi quidem nobilitas, & laudatiſſimarum per omnem aetatem actionum continuata multitudo, ſiue uiri unius, ſiue populi, dignitatem, excellentiamque, demonſtrat. Sunt praeterea, qui fateantur, Bononienſes ubique, praeter quam coram Romano Pontifice, Senenſibus

prae-

praeferendos eſſe. Non quia ſint ibi deterioris fortunae,ſed quia ſtudioſi officium eſt,in propria domo hoſpitem , & extraneum,honore afficere.Quae ratio.etſi uera eſt, non tamẽ propoſito quadrat . Nemo quidem Chriſtianus apud Summum Pontificem alienus eſt.Immo unius gregis,& ſub uno paſtore , omnes ſumus. At , quis dicet peculiariter, Magis ſunt Eccleſiae filij Bononienſes? Cedo,inquam . ideoq. potiores eos fatebor in beneficiis capiundis , quam qui communi appellatione Filii nuncupantur . quod is , qui mentiri nequit, probat, nam, cum diſcipuli eius pro Cananea dicerent, Mitte eam, quia clamat poſt nos,reſpondit: Alienis nõ recte datur panis filiorum . ſed non ſunt alieni ab Eccleſia Chriſtianiſſimi Senenſes , immo peculiares filij deuotiſſimi, & fideliſſimi ſunt . Eſt Summi Pontificis tamen, filios maiores natu , hoc eſt origine ciuitatis antiquiores , excellentiores uirtute , rebusq. geſtis,ac meritis, praeferre minoribus . uniuerſos uero aequaliter fouere, complecti , amare, diſtinctis gradibus. Quid enim dulcius,iucundius,beatius,in hac peregrinatione dari poteſt,quam uenerari, colere, obſeruare Chriſti Vicarium? qui , cum ceteri Principes ſuae ditionis homines appellent Subiectos, ſolus ipſe Filios, ſeq. Patrem eorum profitetur.quo intelligant Chriſtiani,nõ in ſeruitute,ſed in Patris eſſe,& fore tutela . Hinc facillimum factu reor , ut Summus Pontifex , oratus , priſtinam dignitatem noſtrae ciuitati repraeſentet. Quamobrẽ te,te,inquam, Reuerentiſſime Pater , & Princeps Illuſtriiſsime , Franciſce, Mantuane, Cardinalis , noſtri ſaeculi decus, inuoco, uelut caelitus nobis demiſſum Praeſulem,patronum,tutorem,parentem, amplificatoremq. fortunarum noſtrae ciuitatis , ut, quemadmodum Romani olim prouincijs,quas populo Romano ſubieciſſent,patrocinium praeſtabant acerrimum,rati ad gloriam ſibi uel maximam id fore , ut certe erat; ſic dignatio tua,cui non forte ac fortuna,ſed diuino potius conſilio , haec ciuitas regenda euenit, debet eius imminutum honorem, priſtinamq. immerito dignitatem abalienatam ,

omni ſtudio, diligentia, contentione, ut recuperetur, eniti. Quod ut facias, ipſa iuſtitia, aequitas, dignitasq. tua, atque in primis munus exigit tuum. Et, cum magna, & praeclariſſima, geſſeris, memoria ſempiterna digna, crede mihi, non in ultimis laudum tuarum fuerit, ſi ademptum honorem', priſtinamq. dignitatem, populus Bononienſis, nullo ſuo demerito, ſed aliena cupiditate ſuppreſſam, tuo labore, opera, induſtria, contentione, quam primum tua cum laude recuperabit. Exiſtima, tibi ante oculos ſupplicem adſtare Bononienſem populum, a te, pia patriae uoce, petentem, ut enitaris, totisq. uiribus incumbas, pro eius honore tuendo, pro quo maiores noſtri magna ſaepe bella geſſerunt, tot, tantaq. diſcrimina, iacturas, & mortes pertulere, nullis laboribus, impenſis, uigilijs, umquam fatigati, quo ſuo, poſterorumque, honori conſulerent, quibus ſicut egregie datum eſt laudi, quod patriã fouerint, auxerint, ſic mihi crede praeſentes enixiſſime certaturos, eis ne'perpetuo referatur dedecori, patriam, ignauia, & deſidia, labefactatam ſua, concidiſse. Te quoque nunc patrono, & Antiſtite, in quo ſpem ſummam locatam habent ciues mei, perſuadere ſibi nullo modo poſſunt, ſe a te deſeri. Adde, ſapientiſſime Princeps, quod, ſicut decorum fuerit erexiſſe deiectã huius ciuitatis gloriam, ita fore turpiſſimum, ſi eius a te deſtituta cauſſa populus Bononienſis ſua ſe fruſtratum ſpe, de te iamdudũ conceptа, cognouerit, hac in re praeſertim & iuſta, & honeſta. Nec mireris, hunc populũ adeo iſta de cauſsa inflammatũ, qui ſemper auidiſsimus laudis fuit, & ore in ſacris litteris diuino proditum non ignorat, quod exſecrabilis eſt homo, qui negligit honorem ſuum. Patietur ergo dignatio tua, tantae uirtutis maiorum noſtrorum praemium, ideſt honorem eorum uirtuti debitum, ſic proſterni? in tanta ne labe, inquinatione, & opprobrio, nos, filios, poſterosq. noſtros iacere ſines? ut ignobilioribus nobis cedamus? Memineris, a quibus ſis ortus parẽtibus, cuiusq. ciuitatis habenas, utriusque cenſurae tibi creditas, tuoq. ductu, tuisq. auſpicijs agendas acceperis.

acceperis. Quod ſi mente reuolues, quanta res ſit; quod te, patre, proauisq. tuis, dignum eſt, efficies. Qua ex re numquã perituram tibi laudem apud hunc populum comparabis. qui te, nomenq. tuum, uelut alterum D. Petronium, colet, uenerabitur, monumentisq. perpetuis decorabit. Trifariam partienda eſſe bona, qui aliquid ſapiat, ambigit nemo. Alia namque animi, alia corporis, tertio loco ab his externa numerantur bona. Priora duo ciuibus noſtris praeſtantiore quodam modo ineſſe, quam Senenſibus, ſatis ex antedictis apparuit. Externorum uero bonorum, cum ſit honor potiſsimus, qui bonis animi, corporisq. debetur, ſicut prudenter conſideranti liquet, quis dubitabit cumulatius nobis, quam Senenſibus, iam adductis rationibus, deberi? Equidem non diuitias, potentatus, dignitates, magiſtratus, clari expetunt uiri, niſi ut illorum gratia honorentur. Propterea uerum eſſe coniector, quod omnium uirtutum, bonarumq. artium incitamentũ, & calcar, eſt honor. immortali etiã Deo, quod tribuamus, dignum habemus nihil. honore tamen impenſo, quod eo maius nihil in noſtra ſitum eſt poteſtate, debitum abſoluimus noſtrum. Igitur abiecti, & uilis animi eſt; atque inferior homine is profecto erit, qui hoc bene geſtarum rerum praemium, uirtutisq. teſtimonium abiecerit, paruiq. aeſtimabit: cum natura palam ſit, hominem ad felicitatem natum, in qua perfectus eſt honor, conſummataq. gloria. Et, niſi honorandi poteſtas ab honorato externa eſſet, in honore felicitatem ſitam eſſe humanam affirmare non dubitarem. Si gaudet equus, animal brutum, phaleris auratis, quod ſe honorari ſentit; nobiliſsimum naturae, immo Dei, opus, homo honorem ſuae uirtuti obnoxium flocciſaciet, aſpernabitur, contẽnet? immo per tela, per hoſtes, mortis calcato metu, illum quaeret, pro eo indefeſſus contendet, certabit, &, prius quam eo careat, emori uolet. Et, quoniam, ſicut diximus, Ariſtotelesq. tradit, honorari eſt ab alio, ita & ignominia quidem affici. Quanto enim magis uirtute, ac dignitate, pollent, qui uel honorant quempiam, uel probro afficiunt,

ficiunt,tanto cupidius ille amplectendus eſt honor: ſic etiã dedecus abiiciendum uehementius: quia clariſſimorum uirorum grauiſſimum eſt, partem in utramque, teſtimonium. Ne uelis itaque, Princeps Illuſtriſſime, hanc noſtri honoris imminutionem, te etiam ſua labe adſpergentem, quod Praeſul es Eccleſiae Bononiẽſis, poſt tergum reiicere, nec per ſecordiam, atque ignauiam, quae nulla prorſus eſt in te, aut eſſe poteſt, niſi penitus ab Illuſtriſſimis progenitoribus tuis, tuaq. a natura, degeneras; ne uelis, inquam, hanc pati, quã impreſſit immerito, notam Pius Pontifex nobis, alioquin grauiſſimus arbiter & iudex rerũ, cum pro ſingulari ſapiẽtia, quae in eo fuit, tum quia Pontifex erat Maximus: ne, cum apud ſedes quietas nos uiſere maiores noſtros dabitur, qui ſuis meritis, ſuaq. induſtria, uigilantia, ſtudio, labore, periculis, tantam nobis, & patriae gloriam a ſe paitam relinquere, negligentia, & deſidia, noſtra collapſam, & exſtinctam, querantur: Interrogantes, Vbi nam uirtus eſt, ab eis, uelut hereditaria, tot ſaeculis, ad noſtra uſque tempora, nobis relicta, poſſeſſaq. a patribus noſtris, a nobis tamen perperam, propter deſidiam noſtram, conſeruata? Vbi conſtantia, fortitudo, grauitas, perſeuerantia, & in omnibus adeundis periculis intrepida uis animi? quibus rebus tantam nobis pepeiſſe gloriam obiectabunt. Nec magnus erit iſte labor, nec impenſa grauis, quod habemus te, ſapientiſſimum Praeſulẽ, & patronum noſtri amantiſſimum, in ſumma conſtitutũ auctoritate, cuius ab excellentiſſimis progenitoribus noſtris ciues publice, priuatimq. immortalia acceperunt beneficia. Neque nos latet, magni animi Principis eſse, beneficiis beneficia cumulare, ne fiat ueterum obliuio, atque in primis optare ſibi occaſionem dari, quo ſedulo bene faciat. Id quod etſi omnes illuſtres uiri, ſua pellecti natura, facere delectantur, mirum in modum tantum illuxit in clarisſima, & excellenti, Gonzaga familia tua, cuius a laudatiſſima naturae condicione haud ambigimus te declinaturum. Eſt quoque futurus arbiter, ſummus, maximus, optimus, Pontifex,

Chriſti

Chriſti Vicarius,qui,ut doctiſſimus,& ſapientiſſimus eſt, ſic erit fautor tutor, & conſeruator iuris, honoris, & dignitatis noſtrae. Quae omnia ſi tua illa perſpicaci mente conſiderabis, certe non fatigaberis, quouſque tanti populi precibus abunde ſatisfactum cognoueris: eoq. magis, quo, pro iuſtiſſima, & honeſtiſsima cauſſa, tuam nobis operam nauabis. quam apud Bononienſem populum nulla umquam obſcurabit obliuio.

FINIS.

Z
1084.18

NIL ME DVRIVS

56692